M. Cato primus tranſtulit, cùm in theatro ſpectacula ediſſet: victoribuſque non ex auro, ſicut olim, ſed ex oleaſtro coronas propoſuiſſet. *Alex. lib. 5. c. 8.*

M. Scaurus athletarum certamen ſuis impenſis inſtituit. *Valerius Max. lib. 2. cap. 1.*

Gladiatoria.

Gladiatorum munus primùm Romæ datum eſt in foro Boario, Appio Claudio, Q. Fulvio Coſſ. Dederunt M. & Decius filii Bruti funebri memoria, patris cineres honorando. *Val. Max. lib. 2. cap. 1.*

M. Decius Brutus munus gladiatorium in honorem patris ſui defuncti primus Romæ in foro Boario edidit. *Liv. Val. Maxim. lib. 2. cap. 1.*

C. Julius Cæsar, ædilis, gladiatorium munus inſtituit, ſed aliquanto paucioribus, quàm deſtinaverat, paribus. Nam cùm multiplici undique familia comparata inimicos exterruiſſet, cautum eſt de numero gladiatorum, quo ne majorem cuiquam habere Romæ liceret. *Suet.*

A Fabio producta ccc. gladiatorum paria, & in his Blemyarum nonnulli. *Sab. lib. 7. Enn. 7.*

Curulia, Aurigarum.

Oenomaus primus apud Elidem Olympiæ equorum curſum edidit. Apud Romanos Romulus in Sabinarum raptu. *Raviſius.*

Terreſtris pugnæ.

Inter C. Julii Cæſaris ſpectacula fuit equeſtris pugna, cui Troja nomen erat, à pueris nobiliſſimis antiquo more pugnata, cùm quibus juvenes itidem nobiliſſimi ex curribus certaverunt. *Xiphilin.*

Galeacius Vicecomes in nuptiis cum Beatrice Ateſtina, Actii Ferrarienſis Ducis ſorore, ludos bellicos edidit. Nam & ſimulacra certaminum, & caſtellorum expugnationes, armatis cohortibus, & turmis inter ſe concurrentibus, edebantur. *Jovius in vita Galeacii.*

Didacus Mendocius, Infantaſiorum regulus, ſpectaculum pugnæ Franciſco Galliæ Regi captivo exhibuit. Populos namque imperio ſibi ſubiectos militaribus inſtructos armis indicta die in proximam viæ planiciem evocavit, digeſtoſque in cohortes & turmas, decurrere juſſit. Fuere ſupra duodecim millia peditum, & equitum: docuitque Mendocius admirabundum Regem, multos eſſe in Hiſpania regulos ipſo admodum potentiores. *Jovius in Piſcario, lib. 7.*

Navalis pugnæ.

A. C. Julio Cæsare defoſſus eſt in monte Cælio lacus ad navale prælium, in quo biremes, ac triremes Tyriæ, & Ægyptiæ claſſis magno pugnantium numero conflixerunt. *Dion.*

Navales ludos Veneti exhibuerunt Leonoræ, Reginæ Neapolitanæ. *Sab. lib. 7. Dec. 3.*

Acroamata.

Nicias Athenienſis, vir opt. & locupletiſſ. oblectabat populum choragiis, gymnaſiarchiis, & muneribus hujuſcemodi aliis. Choragus frequenter vicit, ſuperatus eſt nunquam. *Plut. in Nicia.*

C. Julius Cæsar exhibuit ludos regionatim urbe tota, & per omnium linguarum hiſtriones. *Dion.*

Alfonsus Aragonius Rex, ludos Chriſtianos magnificentiſſimo apparatu, devotiſſima ac ſolenni repræſentatione, ingenti hominum frequentia, ac celebritate quotannis edidit: & cum accepiſſet, Hetruſcos iſtiuſmodi ludos ſingulari induſtria commentos eſſe, ne hac ſaltem in re, quæ ad divinum cultum pertineret, à quoquam mortalium vinceretur, omnia perſcrutatum, atque exploratum eò miſit: explorataque jam longè præclarius, atque artificioſiùs expreſſit. *Panorm. lib. 1. de Reb. geſtis Alphonſi.*

Ferarum.

Ptolemæus Lagi F. duo quædam inuſitata in Ægyptum induxit, camelum Bactrianam inſigniter nigram, bicolorem item hominem, ita ut medietas quidem ex æquilibrio ſummè foret nigra, reliqua portio albedinem præferret eximiam. Convenientibus igitur in theatrum Ægyptiis, alia utique non pauca ſpectaculo digna exhibuit. Demùm ſtuporem novitate rei, ac inuſitata ſpecie injecturus, camelum produxit, & ſemialbum hominem. Cæterùm Ægyptii cameli aſpectu territi, paulò minùs proſilientes mandarunt fugæ præſidium, etiam ſi auro eſſet ornata egregiè, ac purpura inſtrata: freno quoque lapillis interlucentibus conſpicuo, è theſauris Darii Regis, vel Cambyſis, aut ipſius Cyri. Ad hominis autem illius ita coloribus diſtincti, & (ut ſic dixerim) variegati, intuitum partim fuſiùs riſerunt, partim ut monſtrificum quiddam averſati ſunt. Hinc *Lucianus*: δέδοικα δὲ, μὴ καὶ τοὐμὸν κάμηλος ἐν αἰγυπτίοις ᾖ: Sum veritus, inquit, ne libelli mei perinde fiant, ac camelus apud Ægyptios. *Cælius lib. 7. cap. 18. A. L.*

Cn. Pompeii triumpho Africano ludis Roma primùm vidit rhinocerotem Æthiopiæ, lupum cervarium Galliæ: cephos item ex Æthiopia, quarum pedes poſteriores pedibus humanis & cruribus, priores manibus fuere ſimiles. Hoc animal poſteà Roma non vidit. *Plin. lib. 8. cap. 19. & 22.*

M. Scaurus ædilitatis ſuæ ludis primus Romæ hippopotamum, & quinque crocodillos oſtendit. *Plin. lib. 8. cap. 26.*

Elephantos Italia primùm vidit Pyrrhi regis bello, & boves Lucas appellavit, in Lucanis viſos, annos Urbis cccclxxii. Roma autem in triumpho, ſeptem annis ad ſuperiorem numerum additis. Eadem plurimos anno quingenteſimo ſecundo, victoria L. Metelli Pontificis, in Sicilia de Pœnis captos. Centum quadraginta duo fuere tranſuecti ratibus, quas doliorum conſertis ordinibus impoſuerant. Verrius eos pugnaſſe in circo, interfectoſque jaculis tradit, penuria conſilii: quoniam neque ali placuiſſet, neque donari regibus. L. Piſo inductos duntaxat in circum, atque ut contemptus eorum increſceret, ab operariis haſtas præpilatas habentibus per circum totum actos. Nec quid deinde iis factum ſit, auctores explicant, qui non putant interfectos. *Plin. lib. 8. cap. 6.* Auctor *Seneca* eſt *in libro de Brev. vitæ*, principem omnium Curium Dentatum elephantes duxiſſe in triumpho, *Cæl. lib. 13. cap. 19. A. L.*

Elephantos Romæ pugnaſſe Feneſtella tradit primùm omnium in circo, Claudii pulchri ædilitate curuli, M. Antonio, A. Poſthumio Coſſ. anno V. C. cap. 655. Item poſt annos xx. Lucullorum ædilitate curuli, adverſus tauros Pompeii quoque altero conſulatu, dedicatione templi Veneris victricis, pugnavere in circo viginti, aut, ut quidam tradunt, xvii. Getulis ex adverſo jaculantibus, mirabili unius dimicatione, qui pedibus confoſſis repſit genibus in catervas, arrepta ſcuta jacens in ſublime, quæ decidentia voluptati ſpectantibus erant in orbem circumacta, velut arte non furore belluæ jacerentur. Magnum & in altero miraculum fuit, uno ictu occiſo. Pilum ſub oculo adactum, in vitalia capitis venerat. Univerſi eruptionem tentavere, non ſine vexatione populi circumdati clathris ferreis. Qua de cauſa Cæſar dictator poſteà, ſimile ſpectaculum editurus, Euripis arenam circumdedit: quos Nero Princeps ſuſtulit, equiti loca addens. Sed Pompejani, amiſſa fugæ ſpe miſericordiam vulgi inenarrabili habitu quærentes ſupplicavere, quadam ſeſe lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut oblitus Imperatoris, ac munificentiæ honori ſuo exquiſitæ, flens univerſus conſurgeret, diraſque Pompejo, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. Pugnavere & Cæſari dictatori tertio conſulatu ejus, viginti contra pedites quingentos: iterùm totidem turriti cum ſexagenis propugnatoribus, eodem quo priores numero peditum, & pari equitum ex adverſo dimicante: poſteà ſinguli, principibus Claudio, & Neroni, in conſummatione gladiatorum. *Plin. lib. 8. cap. 7.*

Elephantes Romæ juncti primùm ſubiere currum, Cn. Pompeii Magni Africa triumpho, quòd priùs India victa triumphante Libero patre memoratur. Procilius negat potuiſſe Pompeii triumpho junctos ingredi portam. Germanici Cæſaris munere gladiatorio, quoſdam inconditos motus edidere, ſaltantium modo. *Plin. lib. 8. cap. 2.*

Sergius Galba Imp. honoribus ante legitimum tempus initis, Prætor commiſſione ludorum Floralium, novum ſpectaculi genus, elephantos funabulo edidit. *Suet.*

Jugo ſubdidit leones, primuſque Romæ ad currum junxit M. Antonius, & quidem civili bello, cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus jugum ſubire illo prodigio ſignificante: nam quòd ita vectus eſt cùm mima Cytheride, ſupra monſtra etiam illarum calamitatum fuit. *Plin. lib. 8. cap. 16.*

Leonum ſimul plurium pugnam, Romæ Princeps dedit Q. Scævola, P. filius, in curuli ædilitate. Centum autem jubatorum primus omnium L. Sylla, qui poſteà dictator fuit, in prætura. Poſt eum Pompejus Magnus in circo dc. in iis jubatorum cccxv. Cæſar Dictator cccc. *Plin. lib. 8. cap. 16.*

Senatuſconſultum fuit vetus, ne liceret pantheras ſeu varias Africanas in Italiam advehere. Contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis, permiſitque Circenſium gratia importare. Primus autem M. Scaurus ædilitate ſua varias centum quinquaginta univerſas miſit, dein Pompejus Magnus quadringentas decem, Divus Auguſtus quadringentas viginti. Idem Q. Tuberone, Fabio Max. Coſſ. 4. Nonas Majas, theatri Marcelli dedicatione, tygrim primus omnium Romæ oſtendit, in cavea manſuefactam. Claudius vero ſimul quatuor. *Plin. lib. 8. cap. 17.*

Camelopardalis Dictatoris Cæſaris Circenſibus ludis primùm viſa Romæ, aſpectu magis, quàm feritate conſpicua: quare etiam Ovis feræ nomen invenit. *Plin. lib. 8. c. 18.*

Annalibus notatum eſt, M. Piſone M. Meſſala Coſſ. ad xiv. Kalend. Octob. Domitium Ænobarbum ædilem curulem urſos Numidicos c. & totidem venatores Æthiopas in Circo dediſſe. Miror adiectum Numidicos fuiſſe, cùm in Africa urſos non gigni conſtet. *Plin. lib. 8. cap. 36.*

M. Antoninus Pius munera edidit, in quibus elephanti, crocutæ, rhinocerotes, crocodilli, hippopotami, & omnia ex omni terrarum orbe animalia, etiam tygres fuere. In munere publico centum leones una miſſione ſimul exhibuit ſagittis interfectos. *Herodianus.*

P. Servilius prætor trecentos urſos Cæſaris Auguſti temporibus, totidemque alias feras Libycas in theatro occidit. *Xiphilin. in Aug.*

Probus Imp. Romæ ſpectacula edidit varia. Sylvam in Circo Maximo ad tempus fecit ex arboribus radicitus convulſis, ac militari manu translatis, altiuſque defoſſis. Habuit id nemus plures aditus, in cunctis diverſa animalium genera, ut ſingula millia ſuum obtinerent aditum. Sunt & centum jubati leones uno miſſu in amphitheatrum producti, atque à jaculatoribus confecti. *Sab. lib. 7. Enn. 7.*

Fridericus II. Imper. Parmam obſidens, eamque funditus delere ſtatuens, in loco caſtrorum aliam condere cœpit. Cùmque proſpero ſucceſſu rem cœpiſſet, foſſà, valloque in modum urbis deduxiſſet, urbs Victoria dicta eſt. Huic urbi omnia affuere ea, quæ nulli unquam principes habuerint, nulla poſteà civitas viderit. Veſtis varia, & pretioſa, animantes feræ, cicureſque diverſi generis, Elephantes, Dromedarii, Pantheræ, Pardi, Urſi albi, Leones, Lynces, Buboneſque barbari, quos ex Africa, Aſia & Ægypto legati Friderico adduxerant. *Cuſpin.*

Volucrum.

Allatus eſt Phœnix in urbem, Claudii principis cenſura, anno Urbis dccc. & in comitio propoſitus, quod actis teſtatum eſt, ſed quem falſum eſſe nemo dubitaret. *Plin. lib. 10. c. 2.*

Plantarum.

Ebenum Romæ Magnus Pompejus in triumpho Mithridatico primum oſtendit. *Plin. lib. 12. cap. 4.*

QUOMODO.

Hiero, Syracuſanorum Rex, audita clade, qua Romani apud Thraſimenum lacum afflicti erant: trecenta millia modiorum tritici, ducenta hordei, aurique ducenta & xl. pondo illis muneri miſit. Nec ignarus verecundiæ illorum, ne nollent accipere, in habitum id Victoriæ formavit: ut eos religione motos, munificentia ſua uti cogeret. Voluntate mittendi priùs, iterùm providentia cavendi ne remitteretur, liberalis. *Val. lib. 4. cap. 8.*

Alexander Magnus Proteæ quidam in dicteriis inter pocula non infeſtivè videbatur infenſus. Cùm deprecarentur amici pro eo, atque ille lachrymas profunderet. Redire, dixit, ſe cum eo in gratiam. Tum ille: Igitur Rex, inquit, pignus primum mihi aliquod dato. Atque huic quinque talenta juſſit numerari. *Plut. in Alex.*

Comes olim Fuxi, ſive Foiſſejus, in Catalaniam profectus, ut erat homo liberalis turba petentium obſeſſus, nihil ſibi reliquerat præter mulam, quam ventricoſus ſenex equitabat. Reditum paranti non defuit, qui calcaria inſuper precibus extorquere niteretur. At ille protento pede ſubridens: Accipe, inquit, modò mihi aliquem expedias, qui mulam meam Fuxum uſque ſollicitet. *Petrarcha de Jocis.*

QUANDO.

M. Antonius, è pugna fugiens Actiaca, à Tænaro in Africam tranſmiſſurus, navem unam onerariam magna pecuniæ vi, magni precii, etiam aureo, & argenteo inſtrumento regio onuſtam ſelegit, donavitque amicis, jubens, ut ea partirentur inter ſe, & ſaluti ſuæ proſpicerent. Abnuentes, flenteſque ſanè quam placidè & humaniter conſolatur, precatuſque, ut reciperent ſe, dimiſit, ſcriptis ad Theophilum procuratorem ſuum Corinthi literis, ut ſecuritatem expediret illis, abſconderetque eos, quoad placare Cæſarem quiviſſent. *Plut. in Ant.*

Municipes.

Vocantur ſic ſuæ cujuſque civitatis cives. Alioquin ſtrictè municeps dicitur, qui eſt ex civitate, vel in ea natus eſt, quæ jure utitur municipii. Græcè πολίτης à πόλις.

☞ *Vide in loco de Politica, Tit. Politicæ perſonæ.*

Muri.

Murorum artifices. ☞ *Quære locum de Architectis, §. Murorum. Muri excelſi, firmi, magnifici. Vide locum de Liberalitate ſumptuaria. Tit. Sumptus in valla, mœnia, muros. Muros deiicere, diruere, &c. Ex Loco de Urbibus. Tit. Urbes, Arces, Muros expugnare, &c.*

Mures.

Ubi, & quales. ☞ *Pete ex loci conſideratione. Tit. Greſſilium Ferorum loca.*

Necati à Muribus. ☞ *Quære Locum de Morte. Tit. Mortis inſtrumenta.*

* Murmuratio.

Definitio, & Etymologia.

Murmuratio Græcè γογγυσμὸς, & γογγύζω, murmuro, & γογγυστὴς, murmuator dicitur. Dicitur & μονμὴς ψιθυρισμὸς. Hebr. *Hamith, Prov. 19. 17.* à verbo *hamah*, tumultuatus eſt, ſonuit tumultuosè, fremuit, ut cum magno in populo confusè voces ingentem ſonum edunt, ut eſt aquarum lene murmur, fremitus maris, torrentium ad ſcopulos ſtrepitu quodam incurrentium ſonitus. Dicitur & *Lacaſch*, à verbo *Lacaſch*, muſſitavit, murmur edidit, ſuſurravit, ſubmiſſa voce loquutus eſt. Eſt autem murmuratio oblocutio indebito modo facta contra Deum, vel factum alicujus.

Alii definiunt, quod querela impatiens de his, quæ homo tolerare deberet.

Sumpta locutio à ſtrepitu aquæ, quẽ murmur appellamus.

EXERCITA. A QUIBUS, QUOMODO. Exempla S. Scripturæ.

Murmurabat Cain adverſus Deum, quòd in pœnam fratricidii dixiſſet ei, Vagus, & profugus eris ſuper terram. *Geneſ. cap. 4. verſ. 14.*

Iſraelitæ afflicti à Pharaone ob introitum Moyſis ad illum, adverſus eum indignati, dixerunt, Fœtere feciſti noſtrum odorem apud Pharaonem, & ſervos ejus, & præbuiſti eis gladium, ut interficerent nos. *Exod. cap. 5.*

Poſt omnia magnalia, quæ viderant per manum Moyſis patrata coram Pharaone, poſtquam per mare rubrum educti eſſent adverſus Moyſen, & Aaron inſurrexerunt, & murmuraverunt, dicentes: Utinam mortui eſſemus in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium. *ibid. c. 16.* neque fuit populus tam ingratus, ac propenſus ad murmurationes contra Deum & Principes ab illo datos, quàm iſte. ☞ Ut videre eſt *in Loco de Iudæis. Tit. Iudæorum ingratitudo.*

Maria ſoror Moyſis, & Aaron murmuraſſe leguntur contra Moyſen, *Numer. cap. 12.* occaſione Sephoræ uxoris Moyſis Mariæ æmulæ, ac ſe extuliſſe ſupra ipſum Moyſem.

Et quamvis Angelorum eſca improbus ille Populus in dies nutriretur, cibumque ſine labore acciperet omne delectamentum in ſe habentem, murmurabat nihilominus, aſſerens animam ſuam ſuper eo nauſeare: carneſque petiverunt, muſſitantes contra Moyſen & Aaron. *Exod. 16.*

In Lege Evangelica inducuntur Mercenarii, qui in vinea laborabant, ob denarium, quem tamen pacti fuerant, murmuraſſe. *Matth. 20.*

Murmurabant adverſùs Chriſtum Phariſæi, quòd cum publicanis, & peccatoribus manducaret. *Matth. 9.* quòd diſcipuli manus non lavarent, dum ad manducandum accederent. Immò adverſùs quævis illius aut facta, aut dicta malevolentiam ſuam, & indignantis animi indicia exhibebant. *Matth. 15. Marc. 2. Luc. 5. 6. 15. Joan. 6.*

Judas Iſcariotes murmurabat, quòd Magdalena in Chriſti A recumbentis caput unguentum effunderet. *Joan.* 12.

Et in Actis refertur murmur Grecorum adversùs Hebreos, eò quòd deſpicerentur eorum viduæ in miniſterio quotidiano, deputarentur videlicet ad officia viliora, neque non ita de neceſſariis illis proſpiceretur perinde ac Hebræis. Quotidiano enim experimento diſcimus, quòd qui communem curam rerum habent, non ex æquo omnibus valeant placere, adeòque nequeant omnium obmurmurationes, & querimonias declinare. *Actor.* 6.

ILLIUS GRAVITAS, ET POENA.

Quàm ſit grave peccatum, adversùs Deum & poteſtatem ab illo datam murmurare, terribili exemplo docetur Hebreorum veterum, qui propter murmur in deſerto commiſſum adversùs Deum, & Moyſen, excluſi fuerunt à terra promiſſionis, omnes, inquam, qui numerati erant à viginti annis, & ſupra. Ita enim Deus. Omnes, qui numerati eſtis à viginti annis, & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram. B Et infra. Nec quiſquam ex illis, qui detraxit mihi, intuebitur eam. *Numeror. cap.* 14. Ecce quomodo tot centena millia in ſolitudine mori coegerit rebellis obmurmuratio.

Etiam Maria ſoror Moyſis ob murmur adversùs fratrem, lepra eſt percuſſa, *Numer.* 12. & eſt illuſtris comminatio lepræ iis, qui ſacerdotum imperiis detrectarent parere, iiſque obmurmurarent. *Deut.* 24. ubi etiam Deus revocat in memoriam punitionem Mariæ ſororis Moyſis. *Numer. cap.* 11. cùm Populus murmuraret quaſi dolens pro labore, hoc eſt propter laborem itineris: jam enim triduum cum parvulis, & jumentis ambulaverant; quamvis lentè procederent, & Deus eos confortaret: accenſus in eos ignis Domini, devoravit extremam caſtrorum partem. Igne itaque vehementi expiatur murmuratio. Rurſus *cap.* 21. pertæſi itineris, ac laboris, locuti perhibentur contra Deum, & Moyſen: dicentes; Cur eduxiſti nos de Ægypto, ut moreremur in ſolitudine: Deeſt panis, non ſunt aquæ, &c. Et ſequitur? Quamobrem immiſit in eos Dominus ignitos ſerpentes, &c.

☞ *Vide Locum de Obmurmuratione.*

C

* Muſæ.

QUÆ, QUOT, UNDE.

MUSÆ nomen eſt Græcum, Latinè Cantum ſignificat, Ita *Virgil. l.* 6.

Agreſtem tenui meditabor arundine Muſam,

hinc ſcientiam, quæ cantum docet, Muſicam dicimus; de qua infrà.

Poetæ verò puellas quaſdam meditati ſunt, quæ modulandi arte præſtarent, eaſque Muſas à canendo appellarunt Græci. Figmento huic cauſſam dedit Oſiris Ægyptiorum Deus, qui, ut refert *Diodor. Siculus*, cùm cantu, & choreis oblectaretur, novem puellas habebat, quæ cantandi artem probè noſſent, quas poſtmodum ob id Muſas dixerunt. Reperiuntur duo genera Muſarum: Antiquæ, quas cœli & terræ filias dixerunt: & Juniorum, quas volunt filias Jovis, & Mnemoſyne, ſive memoriæ.

De numero Muſarum variant Authores; hi tres, illi quaD tuor, alii ſeptem numerant: traditque ſingulorum rationes *Gyrald. ſyntagmate ſingulari de Muſis:* quas hoc loco referre non eſt noſtri inſtituti. Communis Poetarum ſententia eſt, ſi quando de Muſis loquuntur, quas humanitatis, & ſtudiorum præſides faciunt, novenario eas numero comprehendere, tum propter numeri perfectionem, cùm quòd octo ſint ſphæræ cœleſtes, quę harmoniam ſuam habent *juxta Macrobium:* caſque una major, & capacior contineat, quæ ex omnibus conſtet; tum denique quòd novem diverſa invenerint, quibus Litteraria Reſpublica exornetur; de quibus ſtatim.

Variegati verò ejuſdem numeri *Pharnutus* aliam dat rationem. Duas, inquit, Muſas ponunt, propter Theoricem, & Practicem: nam diſciplinæ in ſpeculatione, & actione conſiſtunt. Tres verò propter numeri ternarii dignitatem, & quod tribus ſpeculationum generibus tota ratio Philoſophiæ abſolvatur. Quatuor inſuper, & ſeptem, quòd olim inſtrumenta Muſica tot chordis reſonaverint, novem denique, ob numeri perfectionem.

NOMINA, OFFICIA, FORMA.

E Diximus Muſas ob cantum appellari hoc nomine. *Plato* tamen *in Cratylo* ἀπὸ τοῦ μῶσθαι, id eſt, ab inquirendo vult nominatas. Conſentit *Pharnut.* & *Suidas*. Unde & Moſas antiqui vocarunt. *Euſeb.* à μυέω, id eſt honeſtè inſtituo, appellat; unde Orpheus eas cecinit homines inſtituiſſe in diſciplinis, & religione.

Nomina earum propria, & apud Poetas uſurpata ſunt ab *Heſiodo in Theogonia*, diſticho comprehenſa. Prima eſt CLIO, à gloria, laude, & celebritate rerum quas canit, hanc Hiſtoriam inveniſſe autumant: & κλείω laudare eſt, ac celebrare.

II. EUTERPE à ſuavitate concentus, τερπνὸς jucundum, & ſuave Græcis ſignificat. Unde & Tibicina dicta, ejuſque cantui præeſt.

III. THALIA à voluptate, & laſcivia modulationis. Unde Comœdiarum deam faciunt. θαλλεῖν enim vireſcere eſt.

IV. MELPOMENE à concentu faciendo, μέλπομαι canto ſignificat. Unde & Tragœdias hanc amare contendunt.

V. TERPSICHORE ἀπὸ τοῦ τέρπειν τοὺς χορούς, à choris delectandis, hinc & Cithariſtria dicitur. F

VI. ERATO amabile nomen ſortita juxta *Ovid. l.* 2. *de arte:*

Nunc Erato, nam tu nomen amoris habes,

ἐράω enim amo, ſive deſidero ſignificat. Hæc ergo Amoribus canendis præſidet, quamvis etiam choreis præeſſe exiſtimetur.

VII. POLYHYMNIA, de qua *Horatius, & alii.*

Rhetoricos dicta Polyhymnia Muſa colores.

Alii hanc quaſi πολὺς μνεῖαν, id eſt, magnæ memoriæ appellant, ſed rectiùs ab ὕμνῳ, id eſt, laude nomen ſortitur. Unde oraculorum, rerumque panegyricarum deam dixeris, quæ Poetas reddat immortales, & poſteritati commendet.

VIII. URANIA, ſive cœleſtis, quod Aſtrologiam inveſtiget, & rerum divinarum narrationem ſcribat, οὐρανὸν Græcis eſt cœlum.

IX. CALLIOPE, hanc nonnulli primam faciunt, à bonitate vocis ita nuncupatur, qua reliquas ſuperat ἀπὸ τῆς καλῆς ὀπός.

Pinguntur autem, & finguntur Virgines, & puellæ, quòd non divagentur extra diſciplinæ principia, & terminos, qui eam ſectantur, quomodo virgines ſe continent intra terminos ſuæ pudicitiæ.

Et quia ſcientiæ omnes quaſi quodam nexu copulantur, hinc Veteres nonnunquam eas exprimunt velut chorum du- G centes, & in orbem manus jungentes.

Adhæc in montibus eas collocant: quippe ſtudioſi ſolitudinem amant, & ut rectè *Ovid.*

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.

Jovis & memoriæ filias fingunt, quia ſapientia, & memoria neceſſaria ſunt ſtudiorum cultoribus.

De his inter Poemata Virgiliana hoc legitur Epigramma:

Clio geſta canens, tranſactis tempora reddit.
Dulciloquis calamos Euterpe flatibus urget.
Melpomene tragico proclamat mœſta boatu.
Terpſichore affectus citharis movet, imperat, auget.
Plectra gerens Erato ſaltat pede, carmine, vultu.
Signat cuncta manu, loquitur Polyhymnia geſtu.
Uranie cœli motus ſerutatur, & aſtra.
Comica laſcivo gaudet ſermone Thalia.
Carmina Calliope libris heroica mandat.
Mentis Apollineæ vis has movet undique Muſas.
In medio reſidens complectitur omnia Phœbus. H

COGNOMINA.

Muſarum cognomina plura ſunt, & plerumque à locis iiſdem ſacris deſumuntur. Dicuntur enim Heliconides, ab Helicone Bœotiæ monte iiſdem ſacrato. Parnaſſides, à Parnaſſo bicipiti. Aonides à monte Aonio. Quomodo & Cytherides, Pierides, à montibus ejuſdem nominis.

Aganippides, & Pegaſides appellantur à fonte, quem Pegaſus Equus alatus volando, & petram ungula tangendo fecit erumpere, de quo *Perſius:*

Nec fonte labra prolui Caballino, &c.

qui etiam fons Aganippe vocatur, & Hippocrene. Unde illius vocales Poetæ voluerunt. *Ita Statius in Epithalamio Stellæ:*

Et de Pieriis vocalem fontibus undam.

Camœnæ etiam dicuntur, quaſi amœnè canentes. *Varro* Carmenas appellatas ſentit olim, tandem molliori vocabulo dictas Camœnas. Videat Lector *Gyraldum Syntagmate* 7. ubi uſitata Scriptoribus Muſarum cognomina recenſentur.

Muſi-

Muſica.

A DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

MUſica, Græca dictio eſt, μυστική, & μυστικὸς muſicus dicitur. Et autem Muſica peritia modulationis in ſono cantuque conſiſtens. Tria ſunt genera, quæ circa artem muſicam verſantur, *Unum* genus eſt, quod inſtrumentis agitur: *aliud*, quod fingit carmina: *tertium* quod opus, carmenque dijudicat. Secundum genus profectò Poetarum eſt, quod non potius ſpeculatione, ac ratione, quàm naturali inſtrumento fertur, *ſecundùm Alpharabium.*

* EJUS PARTITIO.

Priſci Sapientes triplicem Muſicam fecere. Mundanam, Humanam, Organicam. Mundanam dixerunt, quæ in concinno corporum cæleſtium motu, ac elementorum conſenſu, *à Platone, Ptolemæo, Homero*, approbante etiam *Auguſtino*, ſtatuitur, Mundique Harmoniam appellant.

Humana eſt, quæ voce hominis fit.

Organica, quæ inſtrumentis ad ſonitum edendum fabricatis editur.

B Tria autem Organorum genera agnoſcit *Chryſ. in Protheoria in Pſal.* Quædam ἐμφυσώμενα, quæ inflata ab hominibus ſonum edunt: ut cornua, litui, tubæ, buccinæ, tibiæ.

Alia κρουστά, quæ pulſantur, ut tympana, ſiſtra, cymbala, campanæ.

Alia denique ἔγχορδα *Plutarch.* ἐντατά, quæ nervis conſtant, aut chordis, ac digito, plectrove tanguntur, ut citharæ, teſtudines, Lyræ, pſalteria, & his ſimilia.

Et plerique Muſicam partiuntur, ut alia ore, alia manu, alia flatu fiat, *Cicero in Roſciana*, cantum vocum, nervorum, & tibiarum nominat, quam aliis vocabulis harmonicam, organicam, & rhythmicam, vocant illius artis periti.

* ENCOMIUM IN GENERE.

Hieronym. Phaletus Savonenſis ita Muſicam commendat.

Muſica turbatas animas, ægrumque dolorem
Sola levat, meritò divumque, hominumque voluptas,
Qua ſine nil jucundum animis, nec amabile quicquam.
Ad cujus numeros ſuperi vertuntur, & orbis.
Et cœlo radiant ignes, quibus emicat ingens
Signifer, & leges, præſcriptaque tempora ſervant:
Hac Phœbus, Phœbique ſoror, duce & aurea cœli,
Aſtra ſuos agitant conſtanti fœdere motus.

C Sed committere non debemus, ut Ciceronis de Muſica utilitate, & neceſſitate prudentum cenſuram prætereamus. Sic enim ille ſcribit.

Liberalibus ergo percipiendis artibus, ſine controverſia Muſices neceſſaria cognitio eſt, quando orationi cunctæ ſunt obnoxiæ. Sed quid ego diſciplinis commodam eſſe commemorem? cùm laborum etiam quies vel opportuniſſima ſit: & quod contrarium huic eſt, ad labores, armaque capeſſenda, vel quemvis ſummum ſubeundum laborem incitamentum ſit, & unde claſſici in bello conſonant, & tympana remugiunt: quæ omnia ſunt ad pugnam hortamenta, jam pridem utiliſſimè, opportuniſſimèque inventa. Sic & nautæ, ſic vinitores, ſic viatores, ſic denique alicui labori alligati omnes cantus unicum ſolamen invenerunt, infantes quoque pueri hanc ſuavitatem non aſpernantur, nutriciſque cantu à fletu ceſſant, atque conticeſcunt. Sonitu aliquo jubet experrectos ſtatim è cubili exſurgentes ad aliquid ſubeundum munus Pythagoras accendi: ſenſus namque ita vegetiores, viridioreſque fieri: & conſopitam mentem exacui, morum quoque exem- D pla mala, ut ſuſcitari, ita refringi arte muſica poſſe, nos priſcæ docuerunt hiſtoriæ, ipſa ita nos docente cum reliquis Cicerone. Sed ut aliqua ſimilitudine adductus maximis minima conferam: ut cum violentia adoleſcentes tibiarum etiam cantu, ut fit, inſtincti pudicæ mulieris fores frangerent, admoviſſe tibicinam: ut ſpondæum caneret Pythagoras dicitur: quod cùm illa feciſſet, tarditate modorum, & gravitate canentis illorum furentem petulantiam conſediſſe. Inde propter mollitiem, quod nimium animos effœminaret, Chromaticum creditur repudiatum pridem fugiſſe genus, quod adoleſcentum remolleſcerent eo genere animi, Lacedæmones improbaſſe feruntur. An non Homerus quoque nos docuit Muſicam, quam à Chirone acceperat, atque didicerat, iram Achillis concoxiſſe? Invenerunt enim, inquit, mentem demulceri ſuavi, varioque citharæ cantu, hac namque ad animum pacandum, ut medicina ad corporis ſublevandum laborem, uſi ſunt antiqui: Hac torpentes ad bellum animo ſuſcitarunt: E hac curas ex animos excuſſerunt, hac juſtitiam docuerunt, hac inſignes virtutibus, meritis, laudibus proſequuti ſunt, corporis ægritudines & conſolati ſunt, & abſterſerunt, hac ſe denique Deo conjunxerunt: unde illa:

Hic canit errantem lunam, ſoliſque labores,
Unde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes,
Arcturum, pluviaſque Hyadas, geminoſque Triones.

Et quæ ſequuntur. Quod porrò immanes quoque feræ cantu mitigentur, quin & æquè nonnullæ cantu ſubſultent, notius eſt ex hiſtoriis, quàm ut à me nunc referatur. An non templis quoque ſonitus varii placandorum numinum cauſa, ut Ptolemæus ait, adhibentur? Quare, ut paucis colligam, ejus eſt Muſica utilitatis, commoditatiſque, ut minimè negligenda ſit. Ejus quoque nobilitatis, vel ex eis, quæ memorabuntur, noſci poterit, ut ne pudori ſit futura cuiquam, vel in quaque re præſtantiſſima vereri nullo modo poſſe quiſquam videatur.

Summam eruditionem, & animorum inſtitutionem longè præclaram eſſe in nervorum, vocumque cantibus ſitam, à Græcis ſemper ferè creditum eſt. Hinc legimus, Epaminondam Græciæ principem fidibus præſtantiſſimè ceciniſſe; Proinde Themiſtocles cùm aliquot annis antè in epulis recuſaſſet lyram, habitus indoctior: Sed Lycurgus, quamvis duriſſi- F mas Lacedæmoniis leges injungeret, muſices tamen ſtudium egregiè videtur amplexatus, quando ipſam hanc natura parens impertiiſſe animadvertitur: quando tranſmitti laborum onus moleſtiſſimum proclivius poſſet. Remigem, ut Fabius inquit, cantus hortatur, & ſingulorum fatigatio, qualibet ſe rudi modulatione ſolatur. Pythagoras, & qui deinceps ſtudia conſectati ſunt eadem mundum ipſum non citrà muſicas rationes concinnatum, coaptatumque argumentorum ſubtilitate colligere ſunt viſi. Quin & artium veluti præſtantiſſima, divinis ſe inſeruit rebus, & quod teſtatum quoque Ptolemæus reliquit, numinibus placandis adhibetur. Plato etiam eſſe gentibus contributam putat muſicam ad præclarius quoddam, præſtantiuſque opus. Nam cùm ſit concinnitatis inter frequentamenta varia præcipuè artifex muſica, non ideò à Diis data, ut ad delicias convertamus, & aurium pruritum: Sed ut quod animæ conſonantiam turbat, & harmoniam, hujuſce voluptatis delinimento ſedari, ac ad ordinem redigi valeat. Cæterùm & graviſſimè Pindarus, ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε Ζεύς, ἀτύζονται βοὰν Πιερίδων ἀΐοντα. Quæcunque non amat, Jupiter, vocem averſantur Pieridum. Quid, quod Socrates jam ſenex inſtitui lyra non erubeſcebat? Thebis porrò Pindari ſtatua viſitur nulla: viſitur autem, inquit Athenæus, G cantoris. Cleonis, in cujus ſinum, Thebas Alexandro diruente, cùm fugiens quidam aurum immiſiſſet, rediens anno trigeſimo poſt, jam Thebis frequentibus, cum fide totum recuperavit. Præclara eſt comici Eupolis ad muſices præconium pertinens ſententia, qua negotium eſſe ſancitur, βαθὺ χἠ καμπύλον, id eſt profundum, flexuoſumque. Propterea *in Hiacintho Anaxillas;* Muſica per Deos, inquit, perinde ac Lybia, ſemper quotannis novam quampiam parit. Magnus equidem juxta citharœdum Theophilum, ſtabiliſque theſaurus muſica eſt: mores enim inſtituit, componitque, ac mollit irarum ardores: quod vel Homericus Achilles abundè ſignificat. *Cic.* 1. *Tuſc. quæſt.*

Muſica verò capi omne quod vivit inde colligunt Platonici, quoniam cœleſtis anima, qua univerſitas animetur, originem ſumpſit ex Muſica. Certè *ex Strabon.* doctrina didicimus, elephantes cantu mulceri, & tympanorum ſono. Et in Sympoſiacis Plutarch. ſcribit Brutorum pleraque deliniri, afficique plurimùm muſica, ſicuti fiſtulis cervos. Ubi verò ſaliantur equæ, nomen incini ſolitum, quem vocent Hip- H pothon. Cantu verò Delphinas moveri, teſtis locupules eſt Pindarus. In homine autem peculiaris adeſſe videtur ratio, qua modulatior ſonus, & flexanimus concentus in corpus muſicæ memoriam deferat, cujus anima in cœlo fuerit conſcia. Propterea nullum ferè haberi tam imite, tam aſperum pectus, quod non oblectamentorum talium teneatur affectu. Afferunt illa quoque Peripatetici, Inſitum eſſe omnibus, oblectari naturalibus moribus, cui rei ſint argumento pueri, qui vix dum nati, modulis permulcentur. Omnino propterea delinimur numeris, qua ratum, ordinatumque computandi modum habent, moventque nos pro ſua æquabili ſerie ordinare: Judicium verò id maximum eſſe ordinem ex naturæ ratione, quod, cùm ordinatè laboramus, bibimus, comedimuſque, naturam, vireſque noſtras ſervamus, augemuſque. Conſonantia igitur ea in primis cauſa demulcere poteſt, quia

ſit

ſit permiſtio, ſive contemperatio contrariorum aptè inter ſe A coeuntium, & proportionem cuſtodientium.

Quin veteres Philoſophi Leges ipſas, ut cum vocis dulcedine tenacius, & libentius in animis hominum exciperentur, ad numerum decantari volebant: & ob id νόμους appellabant, teſte *Ariſt. in Problem.*

* MUSICÆ VETERIS, ET HODIERNÆ DISCRIMEN.

Muſica olim melodia erat, cum qua integra verba percipiebantur: qua cum ſi hodierna conferatur, barbara omnino videbitur, ut in qua præter voces, & ſonum aliquando nihil auditur, ita ut intelligere quis non valeat etiamſi attendat, quid demum cantetur. Unde & aures duntaxat demulcet abſque aliqua ipſius intellectus oblectatione.

Recentiores autem Muſicæ notulæ, per quas diſtinguitur, traxiſſe originem exiſtimantur ex hymno D. Joanni ſacro, quem Monachus quidam in officiolo ſuo habebat ad hanc formam conſignatum.

UT queant laxis
REſonare fibris
MIra geſtorum
FAmuli tuorum,
SOLve polluti
B *LAbii reatum*
Sancte Joannes.

Ex hoc hymno Religioſus iſte primas cujuslibet verſus ſyllabas, quæ ſunt UT, RE, MI, FA, LA, SOL, LA, pro primis Notis cantus poſuit: & Cantu iſto in manu collocato, cantare incepit, ac voces cum Notis, quas in Lineis poſuerat, in concordiam redigere. Atque ita ex hac praxi, & vocum harmonia, ſive concentu, theoria quædam poſteà fuit hauſta, quæ tamen neque ſcientia eſt, neque vetus illa Mathematica, quæ ſeptem conſtabat vocibus, ut ex illo Virgilii verſu deprehenditur.

Obloquimur numeris ſeptem diſcrimina vocum.

* Cardinalis Ferrarienſis circa hanc indagandam ſatis multum inſudavit: ſed fruſtra. Ars itaque iſta planè eſt diſtincta. Nam qui Libros de vera hac Muſica inſcriptos legunt, ad praxim, & uſum convertere neſciunt.

APOPHTHEGMATA.

SOCRATES natu jam grandior, cùm inter pueros fidibus canere diſceret, objurgantibus reſpondit: Nequaquam abſurdum eſſe diſcere ea, quæ prius neſciviſſet, communi vitæ tam utilia, & neceſſaria eſſe. Tanti fecit Muſicam vir ſapientiſſi- C mus, ut jam grandævus nequaquam diſcere erubeſceret. *Eraſm. l.3. Apopht.*

SOLON. Cùm ejus nepos ex fratre inter pocula carmen quoddam Sapphus ceciniſſet, delectatus eſt illa cantilena, & juſſit adoleſcentem, ut eam ſe doceret. Cùm autem quidam interrogaſſet, quam ob cauſam hoc deſideraret? reſpondit: Ut poſtquam ipſam didicero, moriar. *Ælian. de var. hiſt.*

STRATONICUS aliquando trophæum cùm erexiſſet, hunc inſcripſit titulum: Adversùs male canentes cithara. Notans, tales ubique quamplurimos eſſe, quos ipſe viciſſet. *Eraſ. l.6. Apopht. in Athen.*

NERO à Mathematicis audierat, fore ut aliquando deiiceretur imperio, eoque Græcum Jambicum dimetrum identidem uſurpabat:

Τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει.
Terra quævis artem alit.

Putans, ſe tantum profeciſſe in arte canendi: ut etiam ſi exigeretur, in quavis natione ob muſices peritiam poſſet haberi D in pretio. Cùmque imminentibus, qui illum inſequebantur, de ſalute deſperans, cogitaret ſibi vim adferre, ſubindè dicebat: Quantus artifex pereo. *Suet.*

Cuidam Ageſilaum roganti, quam ob cauſam Spartiatæ ad tibiarum cantum inituri prælium exercerentur? Ut cùm ad numerum, inquit, incedunt, appareat, qui formidoloſi ſint, qui fortes. Nam anapæſtorum ictus vehementer meticuloſis pallorem, ac tremorem incutiebant. Itaque cùm pes non reſponderet ad modulos tibiarum, prodebatur ignavorum imbecillitas. Magni ſiquidem refert, ut dux perſpectos habeat militum ſuorum animos, quos norit, qui ſint à prælio ſubmovendi, aut qui qua parte exercitus collocandi. *Plut. in Lac. Apophtheg.*

Cùm ALEXANDER etiamnum pubeſcens citharæ daret operam, & præceptor artis ſubinde moneret, quam chordam quomodo pulſare deberet, & puer parum obſequens Doctori dixit, quid ſi hanc pulſarem? Citharœdus lepidè reſpondit, Si iſthuc quæris, tanquam Rex futurus, nihil refert: ſi ut artifex E futurus, plurimum intereſt. *Eraſ. l.8. Apoph.* Idem nonnihil immutatum *ex Ælian. adducitur infra. Muſicorum exercitiorum ſpecies. Ibi. De Exercitatione diſcentium.*

ANTISTHENES, quibuſdam admirantibus Iſmeniam, quod eſſet inſignis tibicen: Nequam, inquit, hominem eſſe oportet: nam ſi bonæ frugis eſſet, non eſſet egregius tibicen. Judicabat, eos non poſſe bonos viros evadere, qui tantum operæ ejuſmodi artibus impendiſſent. *Plut. in vita Periclis, Pont. l.5. c.1. de Prudentia.*

ATEAS, cùm Iſmeniam tibicinem optimum in bello cepiſſet, juſſit illum canere, ac cæteris admirantibus, ipſe juravit per ventum acinacem, ſibi jucundius eſſe, audire hinnitum equi. *Plut. in Apoph.*

ISMENIAS canebat in ſacrificio, cùmque non litaretur, is, qui conductus fuerat, arreptis tibiis canebat ridiculè, & hoc canente litatum eſt. Incuſantibus autem iis, qui aderant. Divinitus, inquit, contigit venuſtè canere. Hìc Iſmenias ridens. At me (inquit) canente, Dii, voluptate capti commorabantur, te verò feſtinante illos abigere, arripuerunt hoſtiam. Refert *Plut. Sympoſ. l.2.* Conductitius ille ſibi laudem arrogabat, quòd ipſo canente litatum ſit: quaſi Dii magis delectati ſint ipſius cantu quàm Iſmeniæ. Id lepidiſſimè retorſit Iſmenias: ideò non fuiſſe litatum, quòd Dii gaudentes erudita muſica, diutius amarent adeſſe ſacrificio. At cùm ille ri- F diculè caneret, quaſi ſtuderet Deos abigere, ne vacui recederent, arripuerunt victimam. Idem Citharœdum imperitum, obeſoque corpore, & ab omnibus vituperatum, ſolus Diogenes laudabat. Demirantibus, quam ob rem id faceret: Laudo, inquit, quod cùm talis ſit, maluerit ſe cithara quàm latrociniis exercere, ſignificans illum corpore validum, ingenio rudem, latrociniis aptiorem eſſe, quam muſicæ. Jocus eſt ab inexpectato. *Laert. l.6.* Vide de eodem infra, *Tit. Muſicorum exercitiorum ſpecies. Ibi. Muſici imperiti.*

SATYRIUS egregius tibicen perſæpè Ariſtonis Philoſophi, diſputationibus intererat, & his, quæ dicerentur, mirè affectus ajebat: Cur ego non igni trado hoc telum ad nihil utile? Subobſcure aſſerens tibiam, & quodammodo ſuam artem ad philoſophiæ ſtudium comparatam extenuans, & nihil æſtimans, *Ælin. 3. de var. hiſt.*

ARISTOTELES interrogatus, quid de muſica ſentiret? reſpondit, Jovem neque canere, neque citharam pulſare: Senſit nimirum, hoc ſtudium parum utile hominibus eſſe, quo dii non etiam delectarentur. *Bruſ. l.4. c.17.*

STRATONICUS de Phaone malo tibicine dicebat, quòd non caneret harmoniam, Sed Chadmum. Phaon autem, cùm ſe G gereret pro tibicine, jactaretque ſe Magaris habere chorum: Nugaris, inquit Stratonicus: non habes, ſed haberis. Significans illum eſſe potius diſcipulum, quàm magiſtrum, aut chorum ipſo doctiorem eſſe. *Eraſm. l.6. Apopht.* Idem. Cùm vidiſſet Propin citharœdum Rhodium, corpore quidem magnum, ſed arte puſillum, percontantibus qualis videretur? reſpondit proverbiali dicto: Nullus, malus: magnus piſcis. Singulis verbis hypoſtigme ſeparatis alium efficiens ſenſum. *Athen.* Vide proverbium etiam *apud Eraſmum*, Nullus, magnus, &c. Idem, Rhodi cùm artis ſuæ ſpecimen edidiſſet, neque quiſquam plauſu, aliove geſtu ſignum favoris dediſſet, abſceſſit illinc, dicens: Cùm id, quod nullo conſtet impendio, non præſtetis, qui ſperem me à vobis prœmium accepturum? *Athen. & Eraſm. l.9. Apoph.* Idem Citharœdus quidam malus eum excipiebat convivio, atque ſuper cœnam oſtentabat illi artem ſuam. Erat autem apparatus ſplendidus. Itaque Stratonicus cum illo canente non haberet, qui cum loque- H retur, confregit poculum, & popoſcit majus. Id cùm accepiſſet cum multis cyathis, ſoli calicem oſtendit, moxque ſeſe vino ingurgitavit, & obdormivit. Cùm autem fortè ſupervenîſſent aliquot comeſſabundi, cantori, qui convivium exhibebat, noti, Stratonicus expergiſcens factus eſt ebrius. At illi cùm intellexiſſent: quòd multum aſſiduèque bibendo fuiſſet inebriatus, Stratonicus compendio reſpondit: Hic inſidiator, & ſceleratus cantor, me veluti bovem ad præſepe, dum cœnam accipit, occidit. Boves multo cibo ſaginantur, priuſquam mactentur. *Athenæus.*

XENOPHANTUS certis modis Alexandrum ad arma ſolebat concitare. Dum Muſices vim admirantibus cunctis, quidam ait: Si tantus artifex eſt, incinat modulos, quibus illum à bellis revocet. Sentiens non eſſe magnæ artis hominem eo perpellere, quo ſuapte natura pronus eſt. *Eraſ. l.4. Apopht.*

Demo-

DEMOSTHENES Mitylem pulſavit fores hominis muſicæ, A ac citharæ dediti, cùmque audito pulſu juſſiſſet illum introire. Faciam, inquit, ſi prius alligaris citharam. Subnotans illum nihil aliud quam cythara canere. *Plut. Sympoſ. lib.2.*

CITHAROEDUS quidam cum apud quempiam caneret, pollicituſque eſſet is, apud quem cantabat: quanto melius cantaret, tanto ſe plura daturum, cùm promiſſa poſtridie repoſceret, ei dulce quid, occinens ſubjecit, Voluptatem tibi reddo (inquit) pro voluptate. *Ex Ariſt. l.9. Ethicor. recitat Bruſ. l.4. c.17.*

DEMARATUS cum audiret cantorem quendam oſtentantem artem ſuam, nihil aliud laudis illi tribuit, tantum ait: Mihi videtur non male nugari. Tantus erant contemptus artium: quæ licet eſſent operoſæ, tamen ſolummodo delinirent aures, nullam ſeriam utilitatem adferrent Reipublicæ. *Plut. in Lacon. Apophthegm.*

Cùm quidam prædicaret citharœdum, ejuſque in canendo facultatem admiraretur: Heus, inquit Archidamus, vir optime, quid honoris, ac præmii abs te ferent boni viri, cùm tantoperè prædices citharœdum? Rectè taxavit non vulgi modò, verùm & principum præpoſtera judicia, qui ple- B runque pluris faciunt mimum, aut morionem quam ſapientem, fidique conſilii virum: citharœdum verò, cujus ars non Reipubl. ſed voluptati ſervit, adeò non judicavit prædicandum, ut nec inter bonos viros habendum duceret. *Plut. in Lacon.* Idem, Ad eum, qui ipſi cantatorem commendare volens, duxit, Hic eſt bonus cantor: At apud nos, inquit, hic eſt bonus condimentorum artifex: perinde quaſi nihil referret, utrum quis muſicorum inſtrumentorum ſono, an obſoniis, & condimentis voluptatem adferret. Apud Athenienſes cantores erant in ſummo pretio, cùm coquis non haberetur idem honos, Lacedæmoniis verò nihil placebat artium, quod civium animos effœminaret magis quam ad virtutem accenderet. *Plut.*

ALCIBIADES imbutus philoſophiæ præceptis, voluptates, ac artes indecoras aſpernatus eſt, diſciplinas liberas ſemper amplectebatur. Lyram hoc argumeneo reiiciebat, quod vocem hominis imitaretur (quo colligere licet olim, qui lyra canebant, ſimulque & voce ceciniſſe) plectrum, quod habitum, formamque liberalem immutaret in illiberalem, tibiam duplici nomine damnabat: & quod ſic mutaret oris habitum, ut vix à familiariſſimis agnoſceretur, qui caneret: & quòd homini propriam adimeret vocem, loquendi- C que facultatem eriperet. Nemo enim poteſt ſimul, & inflare tibiam, & loqui. Cantent igitur, inquit Thebanorum filii, qui dicere neſciunt, nobis autem Athenienſibus, ut à majoribus accepimus, gentis princeps eſt Pallas, & Apollo? quorum illa fiſtulam confregit, hic tibicinem excoriavit. Proditum eſt priſcorum fabulis, Palladem ad ſepulchrum tibia canentem, offenſam oris deformitate projectum comminuiſſe tibiam. Apollo Marſiam canendo victam excoriavit. *Eraſ. l.5. Apopht. ex Plut.*

In convivio cùm lyra circumferretur, cæterique ordine canerent (nam id apud Græcos honeſtum habebatur) Gelon equum juſſit adduci in convivium, facilèque, ac leviter in illum inſiliit, ſignificans, hoc eſſe regalius, quam lyra canere. *Plut. in Lacon.*

* HIEROGLYPHICA.

Non immeritò muſicam, eamque omnibus numeris, abſolutam, per Luſciniæ hieroglyphicum ſignificari tradiderunt: ſine multiplicem vocis varietatem, ſive delectabilem ſuavitatem, ſive pertinacem in ea continuationem admiremur. *Vide Pier. Val. l.23. pag. 213. C.*

D Ejuſdem hieroglyphicum eſt Cygnus. *Idem Ibid.* Et Cicada, quo oſtenditur ab eodem. *Pier. Val. l.26. pag. 250.*

MUSICÆ INVENTORES.
IN GENERE.

TUBAL, Lamech F. à *Joſeph. in Antiq.* ſcribitur muſicæ repertor. Græci, & Romani ſcriptores hoc inventum in alios conferunt: arcani hujus (unde hæc ſunt) haud dubiè ignari. *lib.6. c.2.*

Græci, *teſte Euſeb. de Præparat. Evang. l.2.* muſicæ harmoniæ inventionem Dionyſio attribuunt. Ipſe verò in x. ejuſdem operis Zethum, & Amphionem fratres, qui Cadmi temporibus fuerunt, muſicæ repertores vocat. At *Plin. l.7.* muſicam Amphionis inventum tradit, & eſſe qui citharam quoque putent: etſi alii donatum cum cithara à Mercurio tradunt. Lydios etiam invenit modulos. *Val. Probus in Alex. in Virg.* Amphionem, & Zethum. *Eurip. & Pacuvius* Jovis ex Antio- E pa Nyctei filia natos cantando potuiſſe armenta vocare. Teſtantur id Thebæ, quas *Apoll. in Argonauticis* à fratribus antedictis muris eſſe clauſas ait. Sed Zethus humeris ſaxa contulit operi. Amphion cantu vocavit: ſiquidem ſenſus animalium difficilius quàm ſaxa vincuntur. *Solin.* hujus artis ſtudium ex Creta manaſſe putat, cùm Idæi Dactyli Jovis vagitum crepitu, ac tinnitu æris occultando, obſervatos inde modulos in verſificum ordinem tranſtuliſſent. *Polyb. l.4.* hoc Arcadum majoribus aſſignat, qui hujus rei ſemper ſtudioſi fuerint, & in Latium primi inſtrumenta muſica invexerint, cùm ante fiſtulis tantùm paſtoralibus uterentur, *teſte Dionyſ. Halicarnaſſeo.*

Beroſus ſcripſit, Bardum Gallorum Regem Muſices fuiſſe inventorem. Hinc Galli ſuos philoſophos, & Poetas Bardos vocavere.

Ponticus Chamæleon muſicam ab Antiquis excogitatam ſcribit, avium imitatione, in ſolitudinibus canentium. *Athen. l.9. c.13.*

PYTHAGORAS, ut ait *Boeth. l.1.* Muſicæ artis inventor fuit apud Græcos, per malleorum ferientium inæqualia pondera, & per chordarum inæqualitatem, vel, inæqua- F lem extenſionem, ac per calamorum inæqualem longitudinem. *Laert.*

Lucretius ex hominum obſervatione inventos cantus arbitratur, in hunc modum ſcribens:

At liquidas avium voces imitarier ore
Ante fuit, multo quam levia carmina cantu
Concelebrare homines poſſent, aureſque juvare,
Et Zephyri cava per calamorum ſibila primum.
Agreſtes docuere cavas inflare cicutas:
Inde minutatim dulces docuere querelas
Tibia quas fundat digitis pulſata canentum,
Avia per nemora, ac ſylvas, ſaltuſque reperta?
Per loca paſtorum, deſertaque devia ſylvis:
Sic unum quicquid paulatim protrahit ætas.

IN SPECIE, PUTA MODORUM.

Cùm toni ſint, *auctoribus Polymneſto, & Sacada*, tres, Doricus, Phrygius, & Lidius: in ſingulis his tonis feciſſe ajunt Sacadam flexionem, ac docuiſſe chorum cantare Dorium prima, Phrygium altera, Lydium tertia: dictumque tripartitum ob eam varietatem hoc carmen. Quamquam in commentariis Sicyoniis, in quibus Poetæ recenſentur, G Clonas inventor relatus ſit carminis tripartiti. *Plut. de Muſica.*

Sunt, qui Lydiam ab Cario Jovis, & Thorrhebiæ nymphæ filio primùm repertam velint: qui cùm fortè erraret, incidit in paludem, quam mox de matris nomine Torrhebiam juſſit appellari: ubi, cùm Nympharum, quas etiam Muſas interpretantur Lydi, ut auctor Stephanus eſt, præſuaves inaudiſſet cantus, edidicit. In ea palude, ſeu lacu, quem dici item Nymphæum volunt, Nympharum ſunt inſulæ, quæ tibiarum cantu in ambitu moventur: proptereàque Calaminæ vocantur, à calamis: atque item Saltares: quoniam in ſymphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur, ut *Plin.* ſcribit *Cæl. l.8. c.3. Antiq. Lect.*

OLYMPUS, ut eſt *Ariſtoxenus* auctor, exiſtimatur à muſicis generis enharmonii inventor fuiſſe. Quippe ante eum omnia diatona, & chromatica fuerunt. Inventum autem hoc modo. Cùm verſaretur in diatono Olympus, modumque ſubinde in diatonum parypaten nunc à parameſe, nunc à meſe traiiceret ac tranſiliret diatonum lichanum, elegantiam animadvertiſſe ejus affectus. Itaque cùm contextum ex convenientia conſla- H tum obſtupuiſſet, atque probaſſet, hoc genus tono Dorico inſeruiſſe. Neque enim ea, quæ diatoni propria ſunt, vel chromatis, ſed nec quæ harmoniæ, illum attingere, Eundem, cui originem Græcæ, & legitimæ muſicæ acceptam referunt, genus inveniſſe autumant harmoniæ, numeroſque proſodiacos, in quibus eſt Martis carmen, & quo uſi crebrò in Matris Deorum ſacris ſunt choreum. Sunt qui & Baccheum ad Olympum inventorem trahant. Eundem *Ariſtoxenus* principem *l.1. de Muſica* in Pythonis obitum carmen funebre, ait modis Lydiis ceciniſſe. Sunt qui Menalippidem modulorum horum referant auctorem. *Pindarus in Pæanib.* Lydiam harmoniam vult in Niobes nuptiis doceri cœptam. Alii Torebum hanc uſurpaſſe harmoniam primam: ut tradit Dionyſius Jambus. Apud Ariſtoxenum eſt relatum principem Sappho Mixolydiæ inventricem fuiſſe, à qua eam accepiſſe tragicos, qui mox eandem cum

Dorica

Dorica copulaverunt: quorum hæc magnificentiam refert, & A majeſtatem, illa affectus ciet. In commentariis harmonicis tibicen Pythoclides proditur ejus auctor. Lamproclem Athenienſem Lyſis prædicat. Sed & laudatam Lydiam, quæ Mixolydiæ eſt adverſa, aſſimilem Jadi, ab Athenienſi inventam memorant Damone. Modorum ſcoliorum, ut vult Pindarus, fuit Terpander inventor. Archilochus trimetrorum numeros adiecit, & illam in numeros non ejuſdem generis intentionem, immutationemque, & horum pulſum. Eidem primo epoda, tetrametra, procriticum, & proſodiacum adſcripta ſunt: etiam primi auctus, à nonnullis elegium quoque: adhæc jambei ad pæanem epibatum, & aucti heroi tum in proſodiacum, tum in creticum intenſio. Inſuper, ut jambeorum alia ad pulſum dicerentur, alia cantarentur, monſtraſſe dictitant Archilochum, inde Poetas tragicos ita uſurpaſſe: Crexum autem ab eo hoc mutuatum deduxiſſe in dithyrambum: Ad hunc quoque auctorem referunt pulſum, ſeu cantionem. Antiquiores exiſtimant ferè omnes cum concentu fides pulſaſſe. Polymnaſto cùm hypolidum nunc appellatum tonum attribuunt, tum remiſſionem, & digreſſionem longè ab eo factam tradunt majorem. *Plut. de Muſica*

Perſæ bello Græciam cùm premerent, Dianæ Caryati- B dis ſacra, à virginibus fieri ſolita, ſunt intermiſſa. Quocirca Agreſtium aliquot in fanum officii ergo ſeſe intulerunt, & peculiaribus cantiunculis Dianæ laudes dixere. Quos cantus cùm valde probari vel religio juſſiſſet, vel numerorum lepos perſuaſiſſet: ex caſu mos, deinde etiam lex facta eſt Bucolico carmini. Caryatidis autem cognomentum à Laconiæ vico, cui Caryæ nomen erat: Ex quo verbum quoque ſaltationis καρυατίζειν, quem modum edocti fuiſſent ab regionis illius principibus Caſtore, & Polluce. *Scalig. l.1. Poet. c.4.*

INSTRUMENTORUM.

DAVID ille magnus Dei vates varia inſtrumenta invenit *teſte Joſepho in 7. Antiq.* Organa longè à noſtris diverſa, Nabla, Pſalterium, & ſimilia.

Mercurium lyram inveniſſe, ſcribit *Pauſ. l.5.* eamque Apollini, cùm pax inter illos poſt furtum boum orta eſſet, largitum (hinc lyra quaſi lytra dicta fuit, præmium ſcilicet pro redimendis bobus) & ab eo viciſſim accepit caduceum, ut *Servius in 4. Æneid.* annotat. Ex nervis trium chordarum, inſtar trium anni temporum, auctore Diodoro Siculo libro primo, capite ſecundo tres inſtituit voces, acutam ab æſtate, gravem ab hyeme, mediam à vere. *Conſule Jul. Cæſ. Scaligerum.* C *l.1. Poet. c.43. & 48. Lucianus in Dial. Apoll. & Vulcani* ſcribit, Mercurium, cùm teſtudinem mortuam inveniſſet, quam χέλων dicunt, brachia adaptaſſe, jugum induxiſſe, calamos agglutinaſſe, & fundo ſubjecto, novem deinde chordis ſuper calamis, tanquam anſulis intenſis, jucundum quid modulatum fuiſſe. Id cùm in monte Cyllene proximo feciſſet, mons Chelidorta vocatus fuit, teſte Pauſania in Arcadicis. *Natal. Comes Mythol. l.5. c.5.*

Citharæ figura fuit apud Græcos primùm concinnata Cepionis tempore, qui Terpandri fuit diſcipulus: appellata Aſias, propterea quod à Lesbis Acanis fuiſſet importata. Modos certos ante Archilochum primus Terpander inſtituit, & leges, quas ab ſe, & à diſcipulo vocavit, κηπίωνα, & τερπάνδριον *Scalig. l.1. Poet. c.48. Plut. de Muſica.* Citharæ, ut Plinio placet, repertor fuit Amphion: ut aliis, Orpheus: ut aliis, Linus ut verò Diodoro, Apollo. Quintam chordam addidit Chorœbus, Axis Regis Lydorum F. ſeptem chordas addidit Terpander. Octavam appoſuit Simonides, nonam Timotheus. Cithara ſine voce primus cecinit Thamyras, cum cantu Amphion: ut alii Linus. Hæc Plinius. At cithara tamen longè ante Tubal Hebræus uſus eſt: quam om- D nino ab ea diſſimilem fuiſſe, quam illi invenerunt, teſtatur D. Hieronymus in epiſtola de Inſtrumentis muſicis, ad Dardanum, aut quiſquis illius auctor eſt, ſcribens citharam apud Hebræos vigintiquatuor chordas habuiſſe, factum ad formam Δ literæ. Quatuor nervis, quibus primùm citharam intendebant, tres adjeciſſe Amphionem vult Pauſanias. Arati commentator, & Homerus in hymno Mercurii, citharam ſeptem chordas habuiſſe, tres Diodorus, quatuor Pindari ſcholiaſtes cum Boetio, quibus duas Orpheum addidiſſe, nonnulli ferunt. *Brodeus in Epigramm.* Septem in ea chordas appoſitas tradunt juxta numerum ſeptem Atlantidum, quòd Maja Mercurii mater ex illarum numero fuiſſet: deinde ſupperaditas duas, ut repræſentarentur novem Muſæ. *Polydor.*

PYTHAGORAS in adytis Anactonon Ægypti fertur Orphei antiquam heptachordon lyram inveniſſe, juſque propor- E tiones obſervaſſe, quam Terpander Lesbius in Ægyptum proficiſcens appenderat, apud ſacerdotes illos philoſophatus. *Laert.*

Fabulantur, Tritonem Deum marinum inventam à ſe choncham ad id bellum attuliſſe, quod ſuſceptum eſt adverſus Gigantes. Quam cùm inflaſſet, Gigantes immanem aliquam belluam, ac formidabilem rati, ſe in fugam verterunt. Itaque victoria facilis diis ceſſit. *Nat. Comes Mythol. l.8. c.3.*

Cornua, & tubæ Tyrrhenorum inventum, *ſec. Athen. l.4. c.24.* Cui atteſtatur Diodorus libro 5. cap.9. pedeſtri exercitu prævalidos, Tubam à ſe Tyrrhenam appellaſſe ſcriben. *Plinius* Piſeo Tyrrheno tribuit. Rectiùs *Joſeph. l.3. Antiq.* Moyſi legiſlatori Hebræorum.

Sunt, qui Apollinem non citharam modò, ſed etiam tibiam invenjſſe tradant. Cui rei argumento ſit ſimulachrum Deli, cujus dextra teneat arcum, læva Gratias ſuſtineat, quarum ſingulæ ſingula muſicæ inſtrumenta manibus geſtarent: una lyram, tibias altera, media fiſtulam teneret ore. Puerum præterea, qui laurum tempicam Delphos inferebat, tibicen ponè aſſectabatur. Et quæ ex Hyperboreis ſacra mittebantur, non ſine tibiis, fiſtulis, citharis fuiſſe me- F morantur. *Plut. de Muſica.*

Marſyas tibiæ inventor, *teſte Diod. & Euſeb.* Lybim vocari tibiam à Boetis, teſtatur *Duris l.2. de rebus Agath.* poſteaquam Sirites, qui primus videtur tibiarum artem inveniſſe, Libys fuit ex Nomadibus: qui etiam primus materna tibia cecinit. *Athen. l.14. c.5.*

OLYMPUS Phryx tibicinam primus ad Græcos intulit, ad dactylos Idæos, Midæ Regis temporibus, & tibialem invenit νόμον Polycephalon dictum, fortè non diverſum à nomo, quem Xynauliam, ſive Synauliam vocant: cùm tibicines duo incinunt idem, aut certè ubi cithara, & tibia concentum faciunt. Fuit autem Marſiæ diſcipulis. Tibia uſum Hiaguim primum volunt, aut (ſicuti Apulejus inquit) primus in canendo manus diſcapedinavit, primus duas tibias uno ſpiritu animavit, primus dextris, & lævis foraminibus acuto tinnitu, & bravi bombo concentum muſicum miſcuit. *Cæl. l.8. c.3. Antiq. Lect.*

Pronomus Thebanus tibicen, cùm diverſæ eſſent ob diverſa modum genera tibiæ, & non iiſdem omnino Dorii, Lydii, & Phrygii modi incinerentur, primus ejuſmodi tibias excogitavit, quæ inflatæ modos omnes eædem redde- G rent. *Pauſ. in Bœot.*

JUBA eam tibiam, quæ ex hinnulorum membris conficitur, Thebanorum inventum aſſerit. Elephantinas apud Phœnices primùm fuiſſe perforatas. *Athen. l.4. c.24.*

Metrodorus in rebus Troicis fiſtulam, & tibiam primum Marſyam inquit inveniſſe in Celænis, cùm priùs unico calamo uterentur. Mercurium tamen fiſtulam unius calami inveniſſe, Euphorion Poeta teſtatur in libro de Cantilenis, atque quoſdam eſſe, qui Medis attribuant, Seuthæ ſcilicet, & Rhonaci. Ex multis calamis compoſita tibia Sileno attribuitur, at Marſyæ cera conjuncta. *Idem.*

PYTHAGORAS Zacynthius Tripodem muſicum inſtrumentum reperit. *Athen. 14. c. l.15.*

Tibiis canere voce Trœzenius Dardanus inſtituit, quæ primò ex tibiis gruum, unde & nomen, mox ex arundinibus factæ ſunt. *Plin. l.7. c.56.*

CYBELE fiſtulam calamis compactam, & cymbalum, tympanumque prima adinvenit: puerorum inſuper, & pecorum morbis remedia excogitavit. Qua ex re factum eſt, ut Mater ab omnibus appellaretur.

MERCURIUS Monaulum reperit. Fiſtulam verò Pan Deus Arcadiæ, Syringe nympha in paluſtrem mutata cannam, in H amoris ſolatium. *Ovid. l.7. Metam. & Maro.*

Pan primus calamos cêra conjungere plures
Inſtituit.

ARCHITAS Tarentinus crepitaculum, *teſte Ariſt. in 8. Polit.*

Ægyptii ſiſtrum invenerunt. *Plin. l.7. c.56.*

ALEXANDER Cytherius pſalterium, chordis implevit, & cum in Epheſiorum civitate conſenuiſſet, hoc ſapientiſſimum quaſi ſuæ inventum in templo Dianæ depoſuit *Athen. l.4. c.24.*

Libycus quidam quatuor cymbala quædam fabricatus dicitur certis proportionibus ita inter ſe reſpondentia, ut primi ſpiſſitudo epitriti rationem haberet ad ſecundum, ad tertium hemiolii, ad quartum dupli. Ea pulſata muſicam quandam harmoniam reddebant. *Auctor. Zenodotus.*

Sam-

Sambucam, Lyrophenicem nominatam, ab Ibyco Poeta A Rhegino inventam, Necanthes Cyzicenus putat, Barbytum ab Anacreonte, *Athen. l.4. c.24.* At *Clemens, & Solin. Troglodytis* Africæ adſcribunt.

JOBAS Ægyptios affirmare ait Monaulum ab Oſyride fuiſſe repertum, ſicut Photyngem etiam tibias obtortas habentem. *Athen. l.4. c.24.*

BOETIUS Severinus Patricius, & Conſul Roman. inventor fuit Chiterimini inſtrumenti Muſici. *Supplem. Chron.*

*APUD SINENSES.

Inſtrumentorum apud Sinenſes muſicorum varietas eſt, & copia, ſed organis carent, atque clavichordiis, & omni hujuſmodi inſtrumento, fides inſtrumentis omnibus adhibent è cruda byſſo retortas, ex animalium fibris ne confici quidem poſſe notant. Inſtrumentorum tamen concinnandorum ſymmetria noſtræ reſpondet. Muſica porrò ars omnis in unius vocis ſono conſiſtit, vocum diverſarum diſcordem concordiam planè ignorant. Et tamen ipſi de ſua Muſica ſibi maximè blandiuntur, quæ noſtrarum aurium judicio ſuperbiſſimo abſona omnino judicatur. Et quanquam ipſi ſibi pri- B mas de muſicis concentibus arrogent, noſtratia tamen organa, & cætera, quæ hactenus audierunt inſtrumenta, admirantur, idemque fortaſsè de noſtrarum vocum harmonia judicabunt, cùm ejus artificium, ſonoſque perceperint, quos hactenus templa noſtra non audierunt, omnium quippe rerum ferè muta ſunt rudimenta. *Matthæus Riccius in hiſtorica Exped. Chriſtian. apud Sinenſes.*

*DE MUSICA, quam MUTAM vocant.

Erat & veteribus uſitata alia Muſicæ ſpecies, quam Mutam nominabant: quòd aquæ ſono, ſolis manuum, vultus, pedum geſtibus exercebatur: iidemque intelligebantur, & mirabiliter populum oblectabant, actibus in Scena intermediis. Qui verò hanc exercebant Mimi, & Pantomini dicebantur, ut ex multis Auctoribus, ſingulariter verò *Caſſiodoro* deprehenditur, qui *Lib. 1. var. Epiſt.* ad Albinum ſcribens in fine ait: Iſtam Muſicæ partem veteres nominarunt mutam, quæ quibuſdam geſtibus facit intelligi, quod lingua, aut ſcriptura melius exprimi haud C poſſet.

Hæc quoque ars ivit in fumum, & nec ullum ejus extat veſtigium. Idque magni faciendum non eſt: ſiquidem nullum aliud fructum, præter quam delectationem adferebat, quæ ſanè homini Chriſtiano non magnopere curanda.

Qui verò hanc artem callerent, eos Pantomimos appellari ait, *Lib. 4. var. Epiſt. ult.* nos in *Tit. de Amphitheat.* Chironomos eos, & propriè, & diſtinctè magis appellatos fuiſſe docuimus. Sic autem ſcribit. *Lib. 4.*

Pantomimo igitur, cui à multifaria imitatione nomen eſt, cùm primum in ſcenam plauſibus invitatus advenerit, adſiſtunt conſoni chori diverſis organis eruditi: tunc illa ſenſuum manus oculis canorum carmen exponit, & per ſigna compoſita quaſi quibuſdam literis edocet intuentis adſpectum: in illaque leguntur apices rerum, & non ſcribendo facit quod ſcripturam declaravit. Neronis quoque tempore Demetrius Cynicus cùm Mimum ſpectaret, adulterium Martis, & Veneris ſaltantem, ita exclamaſſe fertur, permultum admiratus. Audio, inquit, ò homo quæ facis, nec modo video, ſed & mihi videris manibus ipſis loqui.

Legimus etiam alicubi Regem Ponti petiiſſe à Nerone, ut D ſibi Mimum daret, quo uteretur apud exteros interprete. Mimus ita geſtibus omnia exprimebat, eaque dexteritate ſe movebat, ut facilè, & citò ab omnibus intelligi poſſet: quemadmodum *Claudius Minos refert ad Audomari Talæa præcepta Rhetor.* Cæterùm mutæ hujus Muſicæ mentionem quoque facit *Lucas de Penna, in Leg. ſi qua in publicis 4. Cod. de ſpectaculis Libro* 11.

MUSICÆ DISCIPLINA. HUC II, QUI MUSICAM DOCENT. ſive.

Præceptis, Exemplis.

TIMOTHEUS, cùm in arte muſica omnium præſtantiſſimus eſſet, duplicem Mercedem exigebat ab his, quos ab aliis magiſtris male inſtitutos acciperet: quòd hi priùs dedocendi quàm erudiendi erant: à rudioribus verò, & ignaris, ſimpli- E cem, *Alex. ab Alex. l.2. c.25.*

GREGOR. Magn. Pont. Max. in cantu ad extremum uſque ſpiritum ſe, ſuoſque pueros exercuit. Ab illo cantus in Eccleſia Gregorianus nomen accepit.

GUIDO. Aretinus claruit in Italia ſub Conrado II. & Henrico III. Imperat. Hic ignotos cantus breviſſima omnium via pueros docebat, omnia ad varia inſtrumenta muſicorum applicans. *Sigeb. in Chron.* eum circiter annum Chriſti MXXIIX. vixiſſe, ſcribit *Volat. lib. 21.* De eo ſic *Crantz. lib. 4. cap. 18. Metrop.* Guido per varias regiones proficiſcens, corruptam muſicam emendavit, & per flexuras articulorum in manibus cantum diſcernere docuit: Scalam vulgò dicunt Hermannus Archiepiſcop. Hamburgenſis, & Elvericus Oſnabrugenſis Epiſcopus ejus opera uſi ſunt. Ex hymno Baptiſtæ, ſex illas ſyllabas muſicales, Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La, mutuatus ingenioſè dicitur:

UT queant laxis
REſonare fibris
MIra geſtorum F
FAmuli tuorum,
SOLve polluti
LAbii reatum,
Sancte Joannes.

Scriptis. Scriptores Muſicæ.

EPICURUS Athenienſis ſcripſit Ariſtobulum, ſive de Muſic. *Laert. l.10.*

DEMOCRITUS Abderites librum edidit de concentu, & harmonia. *Laert. l.9.*

ANTISTHENES Athenienſis, Socratis auditor, de Muſica commentatus eſt. *Laert. l.6.*

HERACLIDES Ponticus Speuſippi auditor, libros duos muſicos, de his, quæ apud Euripidem, & Sophoclem reperiuntur, ſcripſit: item de Muſica duos. *Laert. l.5.*

THEOPHRASTUS Ereſius Harmoniacon librum unum de Muſicis librum unum, de Muſica libros tres edidit, *Idem.*

ALCIDAMAS Eleates philoſophus, muſicus clariſſimus diſcipulus Gorgiæ Leontini, de Muſica elegantiſſimos libros G ſcripſit, *teſte Suida.*

SOTERIDAS Epidaurius ſcripſit muſicæ libros tres, ut ait *Dionyſ. & Vol. l.19. Anthrop.*

LASUS Herminæus Achæus (qui floruit ſub Dario *Olymp.* 58.) primus de Muſica ſcripſit, & Dithyramborum certamen primus protulit. *Suidas.*

DIONYSIUS Halicarnaſſeus, ſub Hadriano Cæſare, ſophiſta, cognomento Muſicus, quòd in ea arte plurimùm ſe exerceret. Scripſit rhythmicorum commentarios libros 24. hiſtoriæ Muſicæ libros 36. in quibus tibicinum, & citharædorum, & Poetarum omnis generis meminit. Muſicæ diſciplinæ, ſive diſputationum libros 22. Quæ in Platonis Republica Muſicè dicta ſint. *Suidas.*

DISCUNT. DISCIPULI MUSICÆ.

Lacedæmonii muſicam diſcebant, non tamen exercebant, ut ſaltem indicare poſſent artem, quam deperditam ter apud illos conſervatam dicunt. *Athen. l.14. c.11.*

Ariſt. in 8. Polit. Juvenes muſica erudiri vult, ut ſenes facti de ea poſſint judicare, tum etiam ut & ipſi Muſicæ hone- H ſtis voluptatibus moveri poſſint. Non movetur autem, niſi qui intelligit, qui ſint concentus, quæ verba.

TELESIAS Thebanus adoleſcens, in optima veterum Lyricorum muſica eximius, cùm ad ſcenicam, & picturatam muſicam Philoxeni, & Timothæi Poematum animum adjeciſſet, contuliſſetque ſe ad modulos condendos, nihil tamen in Philoxeneo genere præſtare laude dignum potuit, propter optimam inſtitutionem à teneris, quam eluere nequibat. *Plut. de Muſica.*

SOCRATES in ſenectute didicit muſicam à Conno fidicine. Cùm autem ei diceretur: Nunquid non verecundaris in ſenectute his operam dare ſtudiis? Majorem, reſpondit, verecundiam eſſe, in ſenectute ignorantes eſſe, quàm in ſenectute ſtudere. *Plato.*

MUSI-

MUSICÆ POSSESSIO,
In Genere.

Scriptum reliquit Pauſanias in Atticis, Cygnum Ligurum fuiſſe Regem eorum, qui habitarunt in Gallia Tranſpadana, laude muſicæ artis clarum. Mortuus ab Apolline in avem ſui nominis mutatus fingitur. Lucianus in Dialogo, qui Cygnus inſcribitur, Aſſeſſores fuiſſe Apollinis Cygnos commemorat, & amicos habuiſſe homines, muſicæ peritos: qui poſt mortem in aves ſui nominis fuerint mutati. *Natalis Comes Mytholog. l.7.c.4.*

Sirenes Acheloi fluminis, qui Ætoliam ab Acarnania diſterminat, & Terpſichores filiæ. *Nicander. l.3. Mutatorum.* Melpomenem Sirenum matrem ſcribit: alii Steropen, alii Calliopen. Juxta Pelorum Siciliæ promontorium, vel in inſulis Sirenuſis habitarunt, in extrema parte Italiæ. *Strabo lib.1. Idem l.5.* Sirenum inſulas facit ſaxoſas, & deſertas, non procul à Capreis. Inferiorem corporis partem habuere volucrum, ſuperiorem hominis, ut ſenſit *Theopompus, in Callæſchro, & Iſacius.* Nomina illarum fuerunt Aplaope Piſinoe, Thelxiapia, vel ut voluit Chœrilus, Thelxiope, Molpe, Aglaophones, *Clearchus* verò *Solenſis in Amatoriis l.3.* Leucoſiam nominat, Ligeam, & Parthenopen; à qua *Strabo l. 1.* Italiæ civitatem Neapolim dictam fuiſſe Parthenopen ait in iis locis mortuam *idem l.6.* Leucoſiam inſulam nomen obtinuiſſe inquit, ab altera Sirene, quæ ibi ſe in profundum abjecerit. Fabulantur unam harum voce, alteram tibiis, tertiam lyra ceciniſſe pro ſingularum ingenio, & ad quæ quiſque natura duce maximè proclivis eſſet, tanta cum gratia, ut homines ſui ipſorum obliti, in manifeſtam perniciem ſe trahi paterentur. Cùm Minyæ per ea loca navigarent, Ancæo navem gubernante, ſe citharam arripuiſſe ſcripſit *Orpheus in Argonauticis*, ſuoque cantu Sirenum cantum retudiſſe. Nam cùm Deorum certamina caneret, minimè auditæ fuerunt cantilenæ Sirenum. Eapropter deſperatione actæ, mutæque factæ, in mare muſica inſtrumenta abjecerunt. *Orpheus, & Apollon. l.4. Argon.* Ulyſſes à Circe Solis filia edoctus, aures cera ſociis obturavit, ſeque arctiſſimis vinculis malo alligari juſſit, neque, ſi rogaſſet quidem, voluit ſolvi. Itaque tutò illas præternavigavit. Sirenes præ deſperatione ſe in mare præcipitarunt, & in ſaxa ſunt converſæ. *Natal. Comes Mythol. l.7.c.13.*

Osyris inſignis muſicus fuit, quemque muſicorum multitudo ſemper ſequebatur: inter quos & novem Muſæ fuiſſe dicuntur. *Diod. Sic. l.1.c.13.*

Nulli magis periti ſunt artis muſicæ, quàm Alexandrini, neque pulſandæ citharæ ſolùm, cui vel pauperrimus quiſque privatus, atque indoctus omnis ita eſt aſſuetus, ut quàm celerrimè errores, qui in pulſatione chordarum fiunt, deprendere poſſit, ſed tibiarum etiam ſunt peritiſſimi: nec earum ſolùm, quæ virgineæ, puerileſque vocantur: ſed & earum, quæ dicuntur viriles, perfectæ, & ampliores cithariſteriarumque, & dactylicarum. *Athen. l.4. c.24.*

Aristoxenus, genere Italus, patria Tarentinus, cognominatus eſt Muſicus, propter peritiam artis. *Plutarchus, & Suidas,*

Telesilla Poetria muſica, urbem Argivorum ab impetu Lacedæmoniorum defendit. Cùm enim Cleomenes, interfectis Argivorum ſupra ſeptem millia, iter Argos direxiſſet: Teleſilla Argivas armatas ad pugnam eduxit: eæque in propugnaculis ſtantes, circumcirca muros tuentes Cleomenem repulerunt. *Polyæn. l.8.*

Xenophilus muſicus, Chalcidenſis, annos 107. vixit, citrà ullum corporis incommodum. *Plin.*

Scylax Cariandæus Mathematicus claruit arte muſica.

Simon Magneſius inſignis muſicus, neglecto ſuperiorum muſicorum more, Simodiam introduxit: ſicut & Lyſis Lyſiodiam. *Vol. l.19. Strab.*

Gul. Roger Anglus, variis inſtrumentis muſicis celebris, à Jacobo III. Scotorum Rege evocatus, multos poſt ſe diſcipulos in aula Scotica reliquit. A Scotis proceribus, capto Rege, ſtrangulatus. *Appendix hiſt. Scotorum.*

De Theodulpho Epiſcopo, vide elegantem hiſtoriam. *Infr. Muſices exercitatio reſpectu Perſonæ §. captivi.*

Cantores.

David Rex Levitis cantores ſacros conſtituiſſe dicitur 288. eorum tres principes, Aſaph, Heman, & Jeduth. *1. Paralipom. 25.*

Palæphatus Amphionem, & Zetum, in condendis Thebis mercede cantus lapides ab agricolis accepiſſe ſcribit, cùm, pecuniam non haberent.

Muſæ in nuptiis Cadmi (qui Thebas Bœoticas condidit, filius Agenoris Regis Aphœnicum, frater Europæ) & Harmoniæ, Veneris, & Martis filiæ, cecinerunt carmen, cujus partem *Theognis* recenſet *in ſua Gnomologia:*

ὅττι καλὸν φίλον ἐςὶ, τὸ δ' ὃ καλὸν ὃ φίλον ἐςί.

Græci ad myrtum canebant, cantorque cantorem myrto tradito invitabat: quod poſteà proverbio increbuit. *Alex. ab Alex. l.2.c.25.*

Vetuſtum eſt carmen Cradias dictum, quod memorat Hipponax Minermum ad fiſtulam ceciniſſe. *Plut. de Muſica.*

Xenophantus modulator inſignis, maxima, & inaudita modulatione cecinit in funere Demetrii Regis. *Sabell. l.1. c.4. Exempl.*

Cùm convivaretur cum amicis Aſtyages Medorum Rex, Anagares quidam aderat cantorum omnium celeberrimus, qui inter alia dixit, quòd fera ſylveſtri ſue multò audacior in nemus accedit. Quæ ſi locis his imperarit, contra multos cum paucis facilè pugnabit. Cùm rogaſſet Aſtyages, Quæ fera? Cyrum Perſam, inquit, ejus nepotem, à quo poſt regno fuit exutus. *Athen. l.14. c.13.*

M. Cato Cenſorius ſimpliciter cantare, nequaquam ſervile duxit opus. *Alex. ab Alex. l.2. c.25.* ☞ *Vide Locum de* Cantu.

MULTORUM INSTRUMENTORUM Periti.

Muſicæ artis virum omnium, qui unquam fuerunt, ſine controverſia præſtantiſſimum plures annos Venetiæ habuerunt, circa annum Sal. 1470. Bernardum cognomento Teutonem argumento gentis in qua ortus eſſet. Omnia muſicæ artis inſtrumenta ſcientiſſimè tractavit: primus in Organis auxit numeros, ut & pedes quoque juvarent concentum funiculorum attractu. Mira in eo artis eruditio, voxque ad omnes numeros accommodata, numinis providentia ad id natus, ut unus eſſet, in quo ars pulcherrima omnes vires experiretur ſuas. *Sab. l.7. Enn.10.*

FIDICINES, CITHAROEDI, Lyristæ,

☞ *Qui fidibus canunt, in multiplici ſunt differentia, pro inſtrumentorum diverſitate. Celebrarunt olim citharam, & lyram, propterea quòd & plectro chordas pulſare, & ſimul viva voce accinere poſſent. De quibus conſule Scaligerum lib. 1. Poeticæ. Exempla pete ex Tit. Lyricorum Poetarum.*

David, Iſai F. inſignis citharœdus, Saul Regem dæmonio correptum, ſuo cantu ſæpè mitigavit, necnon hymnos ſacros plurimos compoſuit: quorum ſpiritu adhuc Chriſtiana fruitur Eccleſia. *1. Reg.16. & 2. Reg.6.*

Philammon Delphus, Apollinis filis. *Ovid. l.11. Metamorphoſ.*

Carmine vocali clarus, citharaque Philamon.

Latonæ Dianæ, & Apollinis ortum carminibus edidit, ac choros circa templum Delphicum inſtituit primum. *Plut. de Muſica.*

Linus Apollinis, & Uraniæ filius, lyricæ muſæ peritiſſimus: in qua magni nominis diſcipulos habuit. Orphea, Thamyram & Herculem. Hunc ab Hercule plectro occiſum ferunt, dum cum canentem acerbè nimis corripuiſſet. *Ælian.* At *Pauſan.* Amphimari Neptuni, & Uraniæ muſæ F. fuiſſe, & cum Apolline de Muſices gloria contendentem occiſum ſcribit *in Bæot. Plut.* hunc Eubœenſem facit

Tamiras, citharœdus Thracius, Lini diſcipulus, à Muſis excæcatus, quòd eas ad certamen cantus provocaſſet. Bellum Gigantum contra Deos panxit.

De Amphionis cantu, & quòd muros Thebanos in Bœotia ad lyram erexerit, nullam prorſus fecit Homerus mentionem. Hanc in muſicis famam idcircò eſt Amphion conſecutus quòd à Lydis ob Tantali affinitatem modos didicit, primuſque chordas tres ad quatuor à ſuperioribus inventas addidit. At enim, qui carmina in Europam fecit, is memoriæ prodidit, Amphionem Mercurio magiſtro fidibus didiciſſe: cantu verò ſaxa, & feras moviſſe. At Myron Byzantius heroici carminis, & elegorum ſcriptor, Amphionem tradit primum omnium Mercurio aram dedicaſſe, & idcircò lyram ab eo accepiſſe. *Pauſ. in Bæot. Heraclid. in Muſicorum breviar.* principem citharæ, & citharœdicæ Poeſeos architectum fuiſſe Amphionem ſcribit, Jovis, & Anthiopæ filium, in ea inſtitutum à patre. Cui rei fidem faciunt, quæ Sycione ſervantur, acta, ex quibus ſacerdotes Argivas, Poetas, & muſicos nuncupat. Eodem ſeculo Lynum Eubœenſem lamentationes, Atnhem ex Anthedone Bœotiæ hymnos, Pierium ex Pieria Poemata in Muſarum laudem condidiſſe ait.

Phemius Ithacenſis, ἀοιδὸς, Eunuchus, & muſicus, cuſtos relictus ab Ulyſſe uxori Penelope, ut ejus pudicitiam ſervaret, frater Demodoci. *Euſtath. in 3. Odyſſ.* Introducitur ab Homero, invitus apud procos canens: vir enim probus erat, verèque philoſophus, βίᾳ παρὰ τοῖς μνηςῆρσιν ἀείδει, ut in primo Odyſſeæ. *Plut. de Muſica.*

Demodochus Corcyreus, ἀοιδὸς, frater Phemii, Eunuchus, & muſicus, ab Agamemnone uxori Clytæmneſtræ cuſtos datus. Nec priùs ejus pudicitia ab Ægiſtho potuit expugnari, quam Demodocum in exilium relegaſſet, & interfeciſſet. *Euſtat. in 3. Odyſ.* Diverſus eſt ab illo, quem Homerus inducit canentem in convivio Alcinoi Regis Phæacum, *Odyſſ.* λ. *Idem.*

Orpheum Apollinis, & Calliopes filium Poetæ faciunt, Principem muſæ Lyricæ (nullo, quem imitaretur, exiſtente. At Terpander hunc poſt imitatus eſt) adeò ut fabularentur delinitas ejus cantu arbores, ſuis ſe locis exeruiſſe, ſenſificatas cautes egiſſe choros, fluvios curſum cohibuiſſe, exarmatas feras poſuiſſe feritatem, & alia id genus incredibilia. Fingitur ab inferis cantu ſuo exoraſſe Eurydicen uxorem, ea lege, ut ſequentem à tergo non aſpiceret, priuſquam ad ſuperas auras ambo rediiſſent. Cui legi cùm amor nimius ſtare non permiſiſſet vatem, Eurydice demùm evanuit. Ab eo lyra vocatur Hæmonia, Threicia, Orphea, Biſtonia, & Biſtonis, quòd Thrax fuerit natione.

Dorceus cantu citharæ apud Thraces, ſecundam poſt Orpheum meruit palmam. *Val. Flac. l.3. Argon.*

Olympus Muſius, Poeta melicus, & elegiarum, Marſyæ Satyri diſcipulus, pulſandæ citharæ legem dedit, modoſque pulſandi reperit, & docuit. Floruit ante bellum Trojanum, à quo & mons in Myſia nomen accepit, *Suidas.*

Arion Methymnæus, citharædus, & Poeta Lyricus, primus Corinthi apud Periandrum & fecit, & nominavit, & docuit Dithyrambum. Opibus, & honore auctus in patriam reverſurus, ſive, ut Herodotus vult, è Tarentho Corinthum navigaturus, piraticæ navi ſeſe commiſit. In ipſo curſu à prædonibus ad necem poſcitur. Ille hoc unum petit, ut ſigni inſtar, cithara priùs luderet, quàm moreretur. Data poteſtate, foris conſcenſis, Orthium carmen modulari cœpit. Ejus cantu allectus Delphin, dorſo exceptum portavit ad litus Tænarium, & exemit à periculo. *Gell. l.16. cap. 19. & Herod. l.1.*

Phrynis citharœdus Mithylenæus, primus putatur apud Athenienſes cithara ceciniſſe, & primas tuliſſe in Panathenæis Callia prætore, Ariſtoclidis diſcipulus. *Suidas.*

Aristoclides ex familia Terpandri, floruit in Græcia bello Medico, celebris cithariſta. *Idem.*

Tenuem citharæ ſonum Ariſtonicum Argivum, qui floruit Antilochi tempeſtate, Corcyræque habitavit, primum introduxiſſe, ſcriptum reliquit Menecharmus. Primus Lyſander Sicyonius cithariſta, Pſilocithariſtiam mutavit, cùm longos tonos intendiſſet, vocemque feciſſet ſatis magnam. Timarchus Steſandrum Samium narrat in rebus Cypriis artem primùm auxiſſe, primumque Homeri pugnas in Delphis cum cithara cantaſſe. Sunt qui dicant Ametorem Eleutherneum Amatorias odas primum ceciniſſe apud Eleuthernæos, cujus minores vocati ſunt Ametores. Scribit Ariſtoxen, quod veluti hexametrorum parodas nonnulli ad riſum invenerunt, ſic primus Oenopas ad citharam cantus. *Ath. l.24. c.15.*

In citharæ cantu excelluerunt maximè, qui Oenovam Italum ſecuti ſunt, qui Cyclopem laſcivè cantantem introduxit, & naufragum Ulyſſem ſolœciſmos, ut ipſe dicit, facientem. *Athen. l.1. c.14.*

Hipparchion, & Auffinus, præcipui apud Græcos citharœdi, cùm ſolemnibus ludis inter ſe certaturi eſſent theatri tumultu commotus Hipparchion obticuit. Unde natum proverbium, Mutus Hipparchion, de qui repentè ſilent, à quibus tamen grande aliquid expectatur. *Eraſ. in Chiliad.*

Epicles cithariſta magno quondam in pretio apud Athenienſes: quem Themiſtocles oravit, ut apud ſe artem exerceret. Volebat enim domum ſuam à multis adoleſcentibus nobilibus frequentari. *Plut.*

Connus Metrobii F. fidicen, quo præceptore uſus eſt Socrates, & ob id ipſum Connum pueri ὡς γεροντοδιδάσκαλον irridebant, *teſte Plat.*

Conna citharœdus, ſeu lyriſta, extremæ ſortis, devorato patrimonio factus pauperrimus, & homo nihili. Hinc adagium natum, Connæ calculus: in hominem nullius momenti. *Eraſ. in Adag.*

Amoebeas citharœdus caſtiſſimus, uxorem nunquam attigit. Eum ſcribit Ariſteas in citharœdorum libras Athenis habitantium, apud theatrum habitaſſe, qui ubi cantaturus exiret, Atticum talentum ſingulis diebus capiebat. *Athen. l.14. c.9.*

De Aspendio citharœdo Aſconius Pedanius in tertia Verrina ad hanc fermè ſententiam enarrat: Vulgares citharœdi cùm canunt, utriuſque manus funguntur officio, ita dextra plectrum teneant, id quod foris canere appellant: ſiniſtra digitis chordas carpant: quod quidem intus canere vocant. Difficile autem viſum eſt, quod Aſpendius citharœdus faciebat, qui nequaquam utraque uteretur manu, ſed omnia, id eſt totam cantionem intus, & ſiniſtra tantùm manu complecteretur: atque ita tacita levique modulatione ſiniſtra contactis chordis, cantilena peragebatur, ut vox ad citharœdum duntaxat, aut proximè aſſiſtentem perveniret. Aſpendius Pamphiliæ civitas eſt, auctore Stephano: unde Aſpendii dicebantur, apud quos citharœdi hoc artificio præcelluiſſe videntur. *Eraſm.*

Stratonicus Athenienſis primus videtur multas chordas in tenuem citharam detuliſſe, primuſque Harmoniarum diſcipulos habuit, formulaſque conſtituit. Ob licentiam in ridiculis à Nicocle Cypriorum Rege ſublatus eſt de medio, veneno hauſto: cùm ejus filios cavillatus eſſet. Corinthi cùm Vetula quædam eum intentiùs aſpiceret, cauſam rogavit. Et illa, Demiror, reſpondit, matrem decem te menſibus geſtaſſe: quem per unum diem auditum urbs noſtra faſtidire incipit. *Athen. l.8. c.7.* Habuit idem in ludo novem Muſarum imagunculas, & Apollinis unam, diſcipulos duos. Propterea interroganti cuidam, quos haberet diſcipulos: Cùm Diis, inquit, duodecim.

Terpander Arnæus, aut Lesbius ex Antiſſa, aut Cumæus. Alii oriundum ab Heſiodo ſcripſerunt: alia, ab Homero. Ajunt enim eum Bœi filiam, qui fuerit filius Phocei, nepos Euriphontis, Homeri pronepos. Primus lyram ſeptam chordis fecit, & modos lyricos primus ſcripſit: quamvis hoc alii Philammoni tribuant. *Suid.* Ludis Apollinaribus ſexies victor fuit, ac temporibus admodùm fuit antiquus. Priorem facit eum Glaucus Italicus Archiloco in commentario quodam, quem de veteribus Poetis, & muſicis ſcripſit: quippe fuiſſe demonſtrat eum à primis illis, qui tibiæ cantus condiderunt, ſecundum Æmulatum Terpandrum Homeri verſus, Orphei modos. Alexander in Breviario muſicorum Phrygiorum pulſandarum fidium Olympum rationem docet in Græciam principem attuliſſe, inſuper Idæos Dactylos. Heraclides eum narrat, pro ſingulis carminibus verſus ſuos, & Homeri numeris adornaſſe, eoſque cantaſſe in præliis. Eundem memorat, vocabula primùm carminibus citharœdicis reddidiſſe. Ejus exemplo Clonam, qui carminum tibialium, proſodiorumque princeps fuit, & auctor, elegias, & verſus condidiſſe, ac Colophonium Polymneſtum, qui fuit infra hunc, eadem uſurpaſſe harmata. *Plut. de Muſica.*

Citharæ olim figura Aſias appellata eſt: quòd citharœdi ea Lesbii, qui Aſiam accolunt, uterentur. Noviſſimum Periclitum ajunt citharœdum Carniis Lacedæmone victoriam obtinuiſſe, natione Lesbium. Quo defuncto, perpetuam apud Lesbios citharœdorum ſucceſſionem expiraſſe. *Idem.*

Xenophantus certis modis Alexandrum ad arma ſolebat convitare. *Sed vide de illo inter Apopht. Eraſ. l.4. Apoph.*

Timotheus Mileſius Muſicus, decimam, & undecimam chordam lyræ addidit, & antiquam Muſicam in molliorem modum mutavit. Vixit tempore Philippi Macedonis, Alexander illius modulis excitabatur, & ad res bellicas alacriùs inſtruebatur. Scripſit verſus de Muſica *l.19. Suidas, & Cicero 2. de legibus*, Lyriam, quæ ſeptem tantùm fides uſque ad Terpandrum Antiſſæum habuerat, in plures chordas disjecit. *Plut. de Muſica.*

Pylades citharœdus quoſdam Timothei verſus audiente Philopœmene cantavit ad citharam. *Plut.*

Nicostratus, & Laodocus citharædi, cùm inter ſe concertarent, dixit Nicoſtratus, Laodocum eſſe in magna arte parvum, ſe autem in parva magnum: ſatiuſque ſibi eſſe non domum divitiis, ſed artem ſtudio, & diligentia augere. *Ælian. l.4. de var. hiſt.*

Anaxe-

Anaxenorem Magneſium patria valde extulit: ſed magis M.
A Antonius, qui quatuor civitatum ei tributa legenda tribuit. *Strabo l.14.*

Eunomius Locrenſis citharœdus. Hujus ſtatua Locris in Italia oſtenditur, quæ inſidentem citharæ cicadam habet. Nam cùm in certamine cum Ariſtono Rhegino muſico chorda una fracta defeciſſet, cicada ſupervolans aſtitit, & ſupplementa vocis fecit. *Strabo l.9.* Ejus ſimulacrum Delphis quoque fuit, cum epigrammate, quod *in 4. l. Græcorum Epigrammatum* legitur.

Aristonus citharœdus, cùm ſexies Pythia viciſset, ut Lyſandri Lacedæmonii gratiam iniret, pollicitus eſt, cùm denuò victoriam habere contingeret, præconis voce ſe pronunciaturum, Ariſtonum Lyſandri ſervum victorem fuiſse. *Plut. in Lyſandro.*

Jopas, nomen citharœdi *apud Virg. l.1. Æn.*

—— cithara crinitus Jopas
Perſonat aurata, docuit quæ maximus Atlas.

Idem l.9. facit Cretea quendam Lyricum, ubi ait:

Et Clytium Æolidem, & amicum Cretea Muſis.
Cretea Muſarum comitem, cui carmina ſemper.
Et citharæ cordi, numeroſque intendere nervis.
Semper equos, atque arma virum, pugnaſque canebat.

B *Apud eundem* Japys nomen auguris, & citharœdi, *l.12.*

Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Japys
Jaſides, acri quondam cui captus amore
Ipſe ſuas artes, ſua munera, lætus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celereſque ſagittas.

Stratonica cum patre pſalte coram Mithridate Rege Aſiæ victus cauſa canens, adeò regi placuit, ut eam ſtatim in concubinam aſſumpſerit, & ſenem ad ampliſſimam fortunam evexerit. *Plut. in Pompejo.*

Hermogenes citharœdus Julio Cæſ. ſuavitate cantus admodum placuit. Apud *Horat. lib.1. Serm.* nomen cantoris, ubi ait:

Ut quamvis tacet Hermogenes, cantor tamen, atque
Optimus eſt modulator ——

Terpnum citharœdum Nero Imp. coluit præter alios, diebuſque continuis poſt cœnam canenti in multam noctem aſſidens, paulatim, & ipſe meditari, exercitarique cœpit, nec eorum quicquam omittere, quæ generis ejus artifices, vel conſervandæ vocis cauſa, vel augendæ factitarent. *Suet.*

Sueton. ſcribit, aliquando Neroni prædictum à Mathematicis, fore ut imperio deſtitueretur: unde vocem illam
C Neronis celeberrimam extitiſſe, τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει, quo majore venia meditaretur citharædicam artem, principi gratam, privato neceſſariam. Itaque cùm intelligeret ſibi pereundum, illud identidem dictitabat, Qualis artifex pereo: velut indignum eſſet, qui tantus eſſet muſicus, ut ubivis gentium poſſet, nunc fame ad mortem adigi. *Eraſ. in Adag.*

Imperante Othone Sylvio, Citharœdus quidem Neronem Imper. ſe eſſe finxit, eoque nomine maximos motus Græcia, atque Aſia movit. Ajebat enim (cùm Neroni facie, & voce perſimilis eſſet) quo tempore Romæ diſſeminatum fuit, Neronem ſibi vim attuliſſe, alium pro eo fuiſſe mortuum: *Fulg. l.9. c.16.*

Diodorus cithariſtes tempore Veſpaſiani, cujus arte princeps delectatus, multis eum donis cumulavit. *Martial.* ejus meminit.

Echion, & Glaphyrus nomina citharœdorum *apud Juvenal. Sat.6.*

Accipis uxorem, de qua citharœdus Echion,
Aut Glaphyrus fiat pater ——.

D Hedymeles citharœdus *apud Juven. Sat.6.*

Quo tener Hedymeles operam dedit, hunc tenet, hoc ſe
Solatur, gratoque indulget baſia plectro.

Orumbellus citharædus de adulterio cum Beatrice uxore Philippi Ducis Mediolanenſis falsò ſuſpectus. *Jov. in Philippo. & Fulg. l.5. c.3.*

TIBICINES. CHORAULÆ.

Tibicinum laudes *pete ex Athen. l.14. c.5.*

Antiquiſſima tibia eſt, ac ſtatim poſt fiſtulam inter paſtores: non autem cithara, ut ajunt. Quippe Apollinis inventum tibia: alii malunt Palladis, à qua ille ſit edoctus. Majores hi natu quàm Mercurius, qui citharam primus commentus eſt ex teſtudine. Quin alii putant Hyagnidem ante Apollinem tibia ceciniſſe: deinde ejus filium Marſyam tertium Olympum, *teſte Plut. de Muſica.* Olympi, & famulus, & diſcipulus Hierax, qui etiam ab ſeſe leges & dederit, & nominarit: poſt hos Terpander, à quo Clonas: hunc Tegeatem Arcades, Thebani ſuum prædicabant. Poſt illum E Archilochus, alii præponunt Ardalum Trœzenium Clonæ. Qui haſce temperent diſcordias, dixerint Olympum in tibiis primùm leges inſtituiſſe, idque in Apollinis honorem: quam legem à numerorum frequentia nominavit, πολυκέφαλον. Alii Crateri ejus diſcipulo adſcribunt hoc. Olympi autem eam extitiſſe legem, quam dixit ἁρμάτιον. Unde & alia κατὰ δάκτυλον nominata, frequens Steſichoro Himeræo, Alii primum ajunt Pronomum Thebanum tibia ad harmoniam ceciniſſe. Omnino verò in Phrygia primas tibias agnoſcunt. Adducunt pro ſe Myſorum gentem, quæ fuerit tibiæ peritiſſima, Alcmana Poetam, quæ tibicines barbaro, nec alio nomine deſignavit, Sambas, Adon, Telus. Item Hipponactem, apud quem nomina ejuſdem notæ, Cion, Codalus, Babus. Unde proverbium, κίων, ἢ βάβυς αὐλεῖ. *Scalig. lib.1. Poet. cap.20. ex Athen. lib.14. cap. 10. & 13.*

Olim tibiis canendi artem non diſcebant ingenui, tanquam ſordidam, ſed hanc ſola Mancipia exercebant: quæ plerumque ex Arabia producebantur. Unde proverbium, Arabicus tibicen. Deinde ingenuis uſque adeò placere cœpit, ut indoctus haberetur quiſquis ejus eſſet rudis: donec Alcibiades tibias abiiceret, oris deformitate conſpecta ad ſpeculum. F *Eraſm. in Prov.*

Tibiarum conſuetudo cœpiſſe videtur poſt Medicas victorias, cùm Græci jam de ſe magnificè ſentirent: deſita verò Athenis diſciplina ea, Alcibiade auctore, cùm percrebuiſſet, ab illo abjectas, infractaſque tibias, pudefacto deformitate oris. Quod in commentario Pamphilæ nono, & vigeſimo ſcriptum fuiſſe adnotatum Gellius reliquit. *Cælius l.9. cap.4. Antiq. Lect.*

Magnum fuit Muſices ſtudium antiquitùs apud omnes Græcos, quare & ars tibiarum non parvo in pretio habebatur. Chameleon Heracleotes, omnes ait Lacedæmonios, ac Thebanos tibiis uſos fuiſſe, atque ſuis etiam temporibus Heracleotas in Ponto: ex Athenienſibus præterea clariſſimos; Galliam Hipponici filium, & Critia Calleſchri. Duris Alcibiadem, inquit, tibiarum artem non ex vulgari, quovis magiſtro, ſed ex Panoſmo, qui celeberrimus erat eo tempore, didiciſſe. Scribit Ariſtoxen. Epaminondam Thebanum ab Olympiodoro, & Orthagora tibiæ cantum didiciſſe. Multi inſuper Pythagorici tibiarum artem exercebant, ut Euphranor, & Archytas, ac Philolaus, aliique non pauci. Euphranor, commentarium de tibiis reliquit, ſicut etiam Archytas. Epicharmus, Palladem inquit in Muſis, Enoplium G Caſtori, & Polluci cum tibiis ceciniſſe. *Athen. l.4. c.25.*

Thebis Bœotiis poſita ſtatua eſt Pronomi tibicinis, qui unus maximè appoſitè omnium ad aures multitudinis permulcendas tibiis cecinit, & totius corporis motu mirificè ſpectatores in theatris delectavit. Extat ejus cantilena, quam Chalcidenſibus Euripi incolis fecit, ut eo carmine Delum venientes, loci numina ſalutarent. Huic verò Thebani, & Epaminondæ Polymnidis, in eodem loco ſtatuas poſuere, *Pauſ. in Bœot.* Vulgatum eſt diſtichon:

ἑλλὰς μὲν θήβας προτέρας προέκρινεν ἐν αὐλοῖς,
θῆβαι δὲ πρόνομον, παῖδα τὸν οἰνιάδου.

Quondam uſque ad Melanippidem dithyramborum Poetam ſolebant mercedem à Poetis accipere Tibicines, obtinente tunc priores partes in ludis poeſi, quòd eſſent eorum, qui fabulas docerent, tibicines adminiſtri. Poſt hic mos depravatus eſt. *Plat. de Muſica.*

Marsyas à Phryx tibicen, tibiis à Minerva inventis, cùm Apolline certavit. A quo victus, tergore nudatus eſt: quem Nymphæ flevere ita, ut earum lachrymis fluvius Phry- H giæ creverit, ab ejus nomine Marſyas vocatus. *Volat. lib. 18. Anthropb.*

Sacadas tibicen, primus Pythicum carmen Delphis cecinit, & Apollinem iratum tibicinibus propter Marſyæ, & Sileni certamina, reconciliavit. *Pauſ. in Corinth.*

Androna Caranæum ſcribit Theophraſtus incinentem tibiis primum omnium motiones corporis, & rhythmos excogitaſſe. Unde natum, ut σικελίζειν, id eſt, ſiciliſſare, poſitum invenias pro ſaltare. *Cæl. l.5. c.4. A. L. ex Ath. l.1. c.16.*

Philistus Mileſius orator, Iſocratis diſcipulus, tibicen optimus fuiſſe dicitur. Quapropter αὐλοτρύπην Iſocrates vocitabat. *Suidas.*

Scopelinus tibicen pater Pindari; Lyricorum principis *Gyrald. de hiſt. Poet.*

Tellen tibicen, & Poeta Melicus, cujus meminit Diar-
A rhus Meſſenius, ex quo proverbium, ἄειδε τὰ Τέλληνος, Cane, ea quæ ſunt Tellenis, quòd optima fuiſſent. *Volat. lib. 20. Anthrop.*

Mimnermus Colophonius, poeta elegiographus, & tibicen clariſſimus. *Strab. lib.14. & Vol. lib.17.*

Batalus Epheſius tibicen, calceamentis femineis primus omnium in ſcena uſus eſt, fractiſque cantibus tibiarum artem emollivit. Hinc Batalos vocamus mulieroſos homines. *Eraſmus in Adag.*

Agathon tibicen, cantilenarum ſuavitate commendabilis, ſed mollitie nota famoſus. Ab eo Agatonia cantio, dicitur oratio blanda magis quàm fructuoſa, *Suidas & Zenodot.*

Eujus tibicen Hephæſtioni ita fuit acceptus, ut ei ædes reſtituerit, quas pueri Eumenis ei priores ceperant. *Plut. in Eum.*

Lamia ætate Demetrii formoſa meretrix, tibiis optimè fertur ceciniſſe, & canendi ſuavitate magnam apud homines promeruiſſe gratiam. Qua arte ſic Demetrium Poliorcetem ineſcavit, ut ille nihil haberet carius, & quod majore benevolentia proſequeretur. *Plut.*

Xenophantus tibicen in funere Regis Demetrii Poliorce-
B tis, carmen ſacratiſſimum accinuit: cujus concinente remigio, clangor cum modulatione quadam velut in planctu reſpondit carminum ad tibias ambitibus; *Plut. in Demet.*

Polyprepon tibicen phreneticus, cùm ad eum veniſſet Dionicus medicus, protinus ille ſurrexit, foribuſque occluſis, ac nudato gladio tibias ei tradidit, iiſque uti caneret, juſſit. Deinde ubi id non poſſet: illum percuſſit, ſcuticam ſublata manu geſtans, *Lucian. in Con.*

Ismenias Choraules peritiſſimus, Antigenidis diſcipulus, qui, teſte Boetio, multis ægritudine laborantibus omnes animi moleſtias abſterſit. Solius erat gemmis uti fulgentibus, & pretioſis, ut ea oſtentatione ars pluris æſtimaretur. Itaque ſmaragdum, in qua ſculpta fuerat Amymone, ſex aureis denariis in Cypro indicatam, emit. Et cùm duo relati eſſent, imminuto pretio malè curatum, inquit: multum enim detractum eſt gemmæ dignitati. Ejus æqualis fuit Dionyſiodorus, & æmulus. *Plin. lib.57. cap.1.*

Eodem tempore vixit Nicomachus, multis gemmis, ſed nulla peritia electis uti ſolitus, tibicen, & ipſe. *Idem.*

Conna primùm erat tibicen vinoſus, atque in conviviis aſ-
C ſiduè coronatus potabat. Nam priſcis mox erat in compotationibus coronas geſtare. Deinde è tibicine factus eſt Olympionices, atque in Olympiis ſæpè victor coronam tulit, unde Cratinus eum πολυστέφανον vocat. Alioquin pauperrimus, neque tantillo ditior factus ſuis victoriis. Nihil enim habuiſſe fertur, præter oleaſtrum. *Eraſm. in Adag.*

Pythonem, qui ab Evio tibicine amabatur, vi volebat Caſſander oſculari. Quo offendi cùm cerneret Alexand. Evium, exiliit ira flagrans in Caſſandrum, vociferatuſque eſt: Num nec licet quemquam per vos amare? *Plut. in Apopht.*

Hippomachus tibicen, cùm videret à plebe laudari diſcipulum, quem tamen in arte peccare cognoſcebat, baculo tactum deſiſtere juſſit, dicens: Maximum erroris argumentum eſſe, quòd ab ignara turba laudaretur *Æli. de varia hiſt.*

Antigenides, F. Dionyſi, celeberrimus tibicen: quem magiſtrum unà cum tibiis Alcibiades rejecit. *Suid. & Gel. lib. 15. c.17.* Antigenides, Satyri F. Thebanus tibicen, Philoxeni diſcipulus, calceamentis Mileſiis, & laſcivioribus primus uſus eſt. Hujus meminit Plinius. Idem (ut eſt apud Ciceronem in Bruto) diſcipulo frigenti apud populum dixit: Mihi cane, & Muſis.

D Romani Tibicinibus in omnibus ferè ſacris ſunt uſi. Hi ab Appio Claudio, & C. Plautio cenſoribus prohibiti in æde Jovis veteri inſtituto epulari, Tybur uno agmine abierunt. Cùm igitur nemo in urbe eſſet, qui ſacrificiis præcineret, legati juſſu patrum ſunt Tybur miſſi, qui publicè peterent, ut darent Tyburies operam, tibicinibus ſibi quoquomodo reſtituendis. Qui cùm Tyburium hortatu nihil moverentur, diſſimulato negotio, eos velut ad feſtas epulas invitant. Hic vino, cujus avidum fermè genus eſt hominum, oneratos curribus imponunt, ac Romam ſopitos deportant: nec priùs ſuum ludibrium ſenſere: quàm plauſtris in foro relictis, plenos crapulæ adhuc ſemiſomnes lux oppreſſit. Tunc populi concurſus eò factus, impetratumque, ut Romæ eſſe vellent, reſtituto illis veſcendi jure. Datum præterea, ut quotannis ſolenni cantu ornati triduum per urbem vagarentur: tot enim dies abfuiſſe credere par eſt. *Sab. lib.6. Enn.4. ex Val. Max. lib.2. cap.1. & Liu. lib.9. Dec.1.*

Canus choraules, & tibicen, multas pecunias accepit à Galba, cum eum in cœna delectaſſet. *Mart. lib. 10.* De eo ſic E Tranquillus: Cano choraulæ mirè placenti denarios quinque donavit, prolatos manu ſua peculiaribus loculis ſuis.

M. Octavius Herennius, tibicen, poſtquam arti ſuæ diffiſus eſt, inſtituit mercaturam: & benè re geſta, decimam Herculi profanavit: poſtmodum etiam ædem ei ſacravit, & ſignum, Victoremque inciſis literis appellavit. *Macrob. l.3. c.6. Satur.*

FISTULICINES.

Pana Deum fiſtulæ repertorem faciunt Poetæ, cùm Syringa nympham perſequens, in cannam mutatam ad Ladonis fluminis ripam ori admoviſſet, & dum oſcula figit, ſonum ex ſuſpiriis ortum animadvertiſſet.

Minervam ajunt jocantes, cùm tibia caneret, à Satyro admonitam non paruiſſe:

Te dedecet facies hæc, pone tibias:
At arma ſumas, componaſque tibi genas.

Sed cùm in amne quodam vultus ſui ſpeciem ſpectaſſet, pertæſam, tibias projeciſſe: quamvis deformitatis habeat illa ars dulce modulamen, Solamen. *Plut. de non iraſcendo.*

Satyrus fiſtulicinem perſæpe Ariſtonis philoſophi diſputationibus intererat: & his, quæ dicerentur, mirè affectus ajebat. Cur ergo non igni trado hoc nihil utile telum? ſubob- F ſcurè ſuam artem ad Philoſophiæ ſtudium comparatam extenuans, & nihili æſtimans. *Ælian. de var. hiſt.*

Tonium fiſtulicinem paganum, Saccomuſa ludentem, Mantuan. *in Bucolicis* eleganter depingit:

Et cum multifori Tenius cui tibia buxo,
Tandem poſt epulas, & pocula multicolorem
Ventriculum ſumpſit, buccaſque inflare rubentes
Incipiens, oculos aperit: ciliiſque levatis,
Mulotieſque altis flatu à pulmonibus hauſto
Utrem implet, cubito vocem dat tibia preſſo.
Nunc huc, nunc illuc, digitos ſaliente vocavit
Pinguibus à menſis juvenes ad compita cantu
Saltidico, dulcique diem certamine clauſit.

TUBICINES.

Apud Iſraelitas in deſerto, Filii Aaronis tubis duabus argenteis clangentes, quid faciendum eſſet indicabant. Et quidem ſi una tuba clangeretur, concio totius populi convocabatur. Si duabus ſimplici clangore, conveniebant principes. Si cùm ornatu primum, caſtra movebant Orientales tres Tribus: cùm ſecundum, Auſtrales: cùm tertium, Occidentales: G cùm quartum, Septentrionales. Cum hoſte congreſſuri, tubis iſtis clangebant: itidem in ſolemnitatibus, ſacrificiis, & menſium initiis. *Num.10.*

Argis Minervæ Tubæ cognomento ædem Hegeleus extruxiſſe dicitur, qui Tyrrheni filius fuit. Tyrrhenus Hercule, & Myda muliere genitus, primum tubam oſtendit, cujus poſteà cantum Hegeleus Dorienſes eos docuit, qui Temenum ſecuti ſunt: quocirca nominavit templum illud Minervam tubam. *Pauſ. in Corinth.*

Triton, Deus, & tubicen marinus.

Stentor, tubicen in bello Trojano, cui Homerus ferream, & invictam tribuit vocem, ut qui quinquaginta alios voce ſua vincere poſſet.

Agytres, nomen tubicinis apud Stat. *lib.5. Achillidis.*

Misenum Æolidem *Virgilius* ait fuiſſe tubicinem Hectoris: mortuo demum Hectore, adhæſiſſe Æneæ comitem, & tandem à Tritone Deo ſubmerſum, quod ad certamen tubæ H Deos marinos irritaſſet:

—— quo non præſtantior alter
Ære ciere viros, Martemque accendere cantu.

Amaranthus Alexandrinus, Herodotum ſcribit tubicinem Megarenſem magnitudinis trium fuiſse ulnarum cum dimidio, lateraque fortia habuiſſe, ac ſex panis ſemodios ediſſe, carnium libras viginti, binos vini congios bibiſſe, duaſque tubas ſimul inflaſſe, in leonina pelle dormire conſueviſſe. Cùm Demetrius Antigoni filius Argos civitatem obſideret, nec milites Elepolim muris ob pondus poſſent ſubducere, duabus tubis inflatis, milites machinam promptè ſubducere coegit. Periodum decies vicit. *Athen. lib.10. c.1.*

Aglais Megalocleis tuba cecinit, appoſitum pompæ apparatum habens: ac criſtam in capite, in prima magna pompa, quæ ducta fuit ab Alexandro. Edebat carnis duodecim libras, quatuorque ſemodios panis, ac vini congium bibebat. *Idem.*

A

MUSICES EXERCITIA RESPECTU PERSONARUM conſiderata. QUI MUSICAM EXERCUERE. SIUE

Gentes. Populi.

Arcades non pueros modò, ſed & adoleſcentes ad xxx. uſque ætatis annum, muſicas imbuendos curabant. Cantu,& choreis Libero patri ludos concelebrant, ſinguli pro ætatis ratione. Denique vita omnis id genus cantionibus, ſtudiiſque impenditur. Cæteras artes apud eos ignoraſſe, nulla prorſum ignominia eſt. Muſicam neſcire nemo poteſt, quia neceſſariò diſcitur. Ejus imperitiam fateri, illic turpiſſimum eſt: nec id laſciviæ cauſa, vel deliciarum, ſed ut labores aſſiduos in colendis agris, & vitæ prætereà duritiem, atque aſperitatem, & auſteriores mores ex cœli triſtitia quadam provenientes, hac quaſi dulcedine remolliant, ac contemperent. Hujus autem rei argumentum ingens ex Cynethenſibus eſt: qui cùm inſtituta majorum pervicaciùs aſpernari cœpiſſent; in eam brevi feritatem abiere, ut in nulla Græciæ totius civitate ſcelera majora, aut crudelitatis exempla ederentur immitiora. Idcircò vates *Mantua. in Bucolico ludicro* ſubinde in cantilenæ mentione Arcadas plurimis efferre laudibus non deſinit:

B

—— *ſoli cantare periti*
Arcades.

Cælius lib.9.cap.9. Antiq. Lect. ex Athenæi lib. 14 *cap.*11. *&* *Polybio, & Sabell. lib.2. Enn.5.*

Thebani, & Lacedæmonii, tibiarum, fiſtularumque modulationis perquam ſtudioſi fuere: *teſte Athenæo, & Maximo Tyrio, Serm.7.* Lacedæmonii, inquit *Lucian. de Salutatione*, qui Græcorum præſtantiſſimi eſſe cenſebantur, cùm à Caſtore, & Polluce Caryatiſſare perdidiciſſent (quæ ſalationis ſpecies à Caryis urbe Laconiæ ducta erat) omnia cum carminibus facere ſoliti ſunt, adeò ut ad tibiarum quoque modulos, & rhythmum, & moderatum pedis ingreſſum: prœlium committere illi genti moris fuerit. Ac primùm quidem conferendarum manuum ſignum Lacedæmoniis tibia dari ſolebat. Proinde de omnibus quoque reportarunt victoriam, muſica, & modulorum concinnitate illos ducente.

C MENANDER rhetor in Epidicticorum ratione, Lesbios, & in primis Mitylenæos citharœdica plurimum ſolitos gloriari, eaque re ſibi inprimis placuiſſe, ſcribit *Cælius lib.16.cap.3. Antiq. Lect.*

Tyrrheni tibia ſingulari canebant in ſacris, eaque ænea, tanto apud eos in honore, ut quemadmodum ſcripſit Ariſtoteles, non ſolùm ad ejus ſonum pugiles certarent: verùm etiã, cùm in nexos flagris animadverteretur, tibiæ ſonum adjungerent. Quinetiam, quod mirere magis, coqui ipſi ad ejus ſonum epulas appararent. *Scalig.lib.1.Poet.cap.20.*

Hyberni agriculturam, cæteraſque artes non magnopere exercent, præter muſicam, cujus peritiſſimi ſunt: canunt enim cùm voce tùm fidibus eleganter, ſed vehementi quodam impetu: ſic ut mirabile ſit, in tanta vocis, linguæque, atque digitorum velocitate, poſſe artis numeros ſervari: id, quod illi ad unguem faciunt. *Polyd.*

Pontifices

GREGOR. MAGNUS Pontif. quamvis æger in lecto decumbens, puerorum cantus moderabatur. *Paul.Diac.* Idem narratur de Beda Venerabili, qui ne morti quidem proximus hoc genus ſtudii intermiſit.

D

Principes, Reges.

C. CALIGULA canendi, ac ſaltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem ſpectaculis temperaret, quò minus & tragœdo pronuncianti concineret, & geſtu hiſtrionis quaſi laudans, vel corrigens palàm effingeret. Nec alia de cauſa videtur eo die, quo periit, pervigilium induxiſſe, quàm ut initiũ in ſcenam prodeundi licentia temporis auſpicaretur. Saltabat autem nonnunquam etiam noctu. Et quondam tres conſulares ſecunda vigilia in Palatium accitos, multaque, & extrema metuentes, ſuper pulpitum collocavit: deinde repentè magno tibiarum, & ſcabellorum crepitu, cum palla, tunicaque talari proſiluit, ac deſaltato cantico abiit. *Suet.in Caligula.*

NERO reverſus è Græcia Neapolim, quòd in ea primùm artem muſices protulerat, albis equis introiit, diſiecta parte muri, ut mos hieronicarum eſt. Simili modo Antium, inde Albanum, inde Romam. Sed & Romam eo curru, quo Auguſtus olim triumphaverat, & in veſte purpurea, diſtinctaque ſtellis aureis chlamyde, coronamque capite gerens Olympicã, dextra manu Pythiam, præeunte pompa cæterorum: cùm titulis ubi, & quos, quo cantionum, quove fabularum argumento viciſſet, ſequentibus currum ovantium ritu plauſoribus, Auguſtianos, militeſque ſe triumphi ejus clamantibus. Dehinc diruto circi Maximi arcu, per velabrum, forumque Palatium, & Apollinẽ petiit. Incedenti paſſim victimæ cæſæ, ſparſo per vias identidem croco, ingeſtæque aves, ac lemniſci, & bellaria. Sacras coronas in cubili circum lectos poſuit: item ſtatuas ſuas citharœdico habitu: qua nota etiam nummum percuſſit. *Suet.* E

ALEXANDER Mammeæ, facundia Græca excellens, ad Muſicam pronus, lyra, tibia, organo, tuba cecinit: ſed nunquam alio conſcio, niſi pueris ſuis teſtibus. *Cuſp.*

Duces.

HOMERUS ingenii cœleſtis vates, vehementiſſimis Achillis manibus coronas fides aptavit, ut earum militare robur levi pacis ſtudio relaxaret. *Val.Max.lib.*8.*c.*8. Nam cùm præcones Agamemnonis ad tentorium ejus adventaſſent. F

Τὸν δ' εὗρον φρένα τερπόμενον φόρμιγγι λιγείῃ,
Καλῇ, δαιδαλέῃ ἐπὶ δ' ἀργύρεος ζυγὸς ἦεν.
Τὴν ἄρετ' ἐξ ἐνάρων πόλιν Ἠετίωνος ὀλέσσας.
Τῇ ὅγε θυμὸν ἔτερπεν ἄειδε δ' ἄρα κλέα ἀνδρῶν.

CIMON Miltiadis F. Athenienſis, & Epaminondas Thebanus, cùm fidibus egregiè canerent, omnibus aliis Imperatoribus Græcorum antelati fuerunt. Jon cœnatum ſe cum Cimone narrat apud Laomedontem, cùm admodum adoleſcens ex Chio veniſſet Athenas. Secundùm libamina cùm accubuiſſet, cantaſſe eum: quem, cùm non illepidè ceciniſſet, commendatum fuiſſe à convivis, ut Themiſtocle feſtiviorem. Illum enim ſcire ſe negaſſe canere, vel citharam pulſare: urbem verò amplificare, & opibus augere, id tenere. *Plut. in Cimone, & Alex.lib. 2.cap.25.*

Philoſophi.

Videtur Græcorum ſapientia per Muſica theoremata præcipuè tradita fuiſſe. Apollinem idcirco omnium Deorum, Orpheumque omnium virorum muſicæ peritiſſimos, ac ſapientiſſimos exiſtimarunt: omneſque eos, qui hac ipſa arte uterentur, Sophiſtas appellarunt. *Athen.lib.14.c.13.* G

PYTHAGORAS Samius non vulgare ſtudium muſicæ impendit, adeò ut univerſi machinam ex muſicis rationibus compoſitam eſſe diceret. *Athen.l.14.c.13.* Ejus diſcipuli tanti muſicam fecere, ut ſummo manè excitarentur ad lyram: & quietem capturi, ſono invitarentur. *Alex.ab Alex.lib.2.c.25.*

Multum ſtudii poſuit in arte muſica Plato. Auditor Draconis fuit Athenienſis, & Metelli Agrigentini. *Plut.de Muſica.*

Ægroti.

ALBERTUS Erneſti F. Bavariæ Dux, podagra ſub Imperio Frider.Imp.laborans, ſepoſitis cæteris curis, ſectatus muſicam, aſſiduis cantibus, ac ſonis animum oblectavit, interdum & venationi operam dedit *Æn. Sylu.c.41.Europæ.*

Liberi, Servi.

Olim tibiis canendi artem non diſcebant ingenui, tamquam ſordidam, ſed hanc ſola Mancipia exercebant, quæ plerunque ex Arabia producebantur. Deinde ingenuis uſque adeò placere cœpit, ut indoctus haberetur, quiſquis hujus eſſet rudis: donec Alcibiades tibias abiiceret, oris deformitate conſpecta ad ſpeculum. *Eraſm.in Adag.* H

Captivi.

Conſpirationi filiorum Ludov.I. Imp. contra patrem multi Pontifices inerant, & inter alios Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus. Quem cùm in carcerem conjeciſſet Ludovicus Andegavi, inque eo loco Imperator Paſcha facturus, in Palmis intereſſet publicæ proceſſioni, ad repræſentandum Chriſti ingreſſum in Hieruſalem, & jam propè turrim pompa tranſiret, qua vinctus tenebatur Theodulphus: tunc ille proſpiciens quod erat futurum, hymnum inſignem dictavit in honorem ejus proceſſionis.

Gloria, laus & honor, tibi ſit, Rex Chriſte Redemptor? quem adaperta feneſtra, in hora proceſſionis antedictæ, concinebat clara voce, ut à cunctis audiretur. Admiratus Imperator, interrogat, quæ ſit vox, & cujus hominis, quam audiret. Indicatur, eſſe Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis, qui clauſus ibi teneretur. Diligentiùs perpenſo tenore carminis adeò fertur delectatus Imperator, ut juberet mox laxari vinctum, reddique libertati. *Crantz.lib.1.Metropoleos, c.27. & 40.*

A

Mortui.

☞ *Etſi ad Deorum Theatrum hoc pertinet, at propter raritatem ſuam hìc etiam inſeratur*

Greg.Turon. narrat.cap.47. Duos presbyteros Burdegalenſes, quandocunque clerici in templo convenirent ad implendum pſallendi officium, ex ſepulcro ſuam vocem cæteris canentibus, & pſallentibus adjunxiſſe, ita ut clarè intelligi, & diſcerni poſſet, ac ſuavitate concentus mirum in modum animos audientium affeciſſe.

NON EXERCUERE EXERCITIA. MUSICA NEGLECTA.

Cynethenſes Arcades Muſicæ intermiſſo exercitio penitùs ſunt efferati. *Cæl.lib.9.cap.9. A.L.*

CLYTÆMNESTRÆ pudicitia non priùs ab Ægyſtho expugnari potuit, quàm Demodocum citharœdum, qui caſtum amorem in illius animo muſica fovebat, interemiſſet.

Achivi nulla muſica in bellis utebantur, ſed tantùm conſpiratu tacito nitebantur, *referente Homero,*

οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ
ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεναι ἀλλήλοισιν.

Gell. Noct. Att. lib.1.cap.11.

B

MUSICORUM EXERCITIORUM SPECIES SIC EXERCENTUR ALII PRÆCEPTA DANDO.

☞ *Vide ſuprà Tit. Doctores muſicæ. Illic Acquiſitio reſpectu Diſcentis: hìc Exercitatio Docentis ſpectatur.*

EXEMPLA. VEL PROPONENDO. COMPOSITORES MUSICI vulgò. Modorum auctores.

☞ *Ex Tit. Inventores Modorum, huc quædam, quatenus inventa ſua aliis proponunt.*

DAVID Rex, omnibus gentibus pacatis, religionis ſtudia complexus, hymnos trimetros edidit, & cum his pentametros verſus plurimos, qui ſabbatis, feſtiſque diebus ſacris ſolennibus canerentur: adjecit his decachordem citharam, nabla 12. vocum, cymbala ærea, grandia, & lata. *Sabellicus Enn.1.l.20.* Cùmque arcam Domini è Gabaa urbe Hieroſolymam inferret, citharis, nablis, tympanis, tibiis, & cymbalis, omneque C genus pineis inſtrumentis, & ipſe, & Iſraelitæ coram arca luſerunt. *Reg.6.*

Fama eſt, Olympum, ex tibicinibus Phrygiis unum, tibiale carmen in Apollinis laudem condidiſſe, id quod polycephalum eſt dictum. Fuiſſe hunc primi Olympi, Marſyæ diſcipuli, qui carmina in Deorum laudes panxit, ſtirpem nam cum à Marſya, qui eum in deliciis habebat, canere didiciſſet tibia, carmina harmonica, quibus hoc tempore in Deorum feſtis Græci utuntur, invexit in Græciam. *Plut.*

CLONAS tibialium carminum Poeta paulò poſterior Terpandro, fuit, ut perhibent Arcades, Tegeates: ut verò Bœoti-Thebanus Terpandrum, & Clonam Archilochus ſecutus eſt. *Plut.de Muſica.*

Alii nonnulli ſcriptores Ardalum Trœzenium ante Clonam Muſæ tibialis auctorem fuiſſe referunt. Fuiſſe Polymneſtum quoque Meletis Colophonii filium Poetam, quem & Polymneſtum, & Polymneſten carmina condidiſſe. A Clona carmen apotheton, & ſchœnionem fictum meminerunt actorum conditores, Polymneſti tam Pindarus quàm Alcman, modorum opificis mentionem habuere. Certa autem carmina citharœdica, quæ ad auctorem Terpandrum referuntur, à Philammone perhibent illo priſco Delpho ficta. *Plut. de Muſica.* D

Fuit SACADAS Argivus modorum, & elegiorum modulis aſtrictorum conditor, eundemque Poetam egregium fuiſſe, & ludis Apollinaribus ter palmam obtinuiſſe, eſt in acta relatum. Hujus meminit Pindarus. *Plut.de Muſica.*

Carmina citharœdica diù ante tibialia Terpandri ętate compoſita fuerunt. Ille etiam citharœdicis nomina impoſuit, Bœotio, Æolio, trocheo, acuto, Cepioni, Terpandrio: adhæc tetracedio. *Plut. de Muſica.*

JOANNES DAMASCENUS unà cum Coſma Majumenſi Epiſcopo, & Theophane, fratre Theodori Craptorum Epiſcopi, melodi, ſive cantores ſunt agnominati: eò quòd melodiis comprehendiſſent eas cantilenas: quas decretum in Eccleſiis Chriſtianorum cani jubet. Canticorum certè canones Joannis, & Coſmæ hactenus fuerunt incomparabiles. *Suid. & Cedr.* Tales quoque ſunt Marci Hydruntini Epiſcopi in magno die Domini, & Theophanis in virginis matris ſalutatione. *Gyral. Dial.9. hiſt. Poet.* E

THEOPHILUS Imp. multum impendit cantilenis operæ, hymnos quoſdam, & carmina componens, ac canere ea jubens, de quibus eſt, Benedicite, quarti toni, quod ex Audi filia, octavi toni tranſlatum à ſe, atq; concinnatum in Eccleſia clara voce cani mandavit. Ac ferunt, eum carminis amore illectum, in ſolennibus ad magnam ædem conventibus ne manus quidem ad cantus artificioſam agitationem detrectaſſe, Clerumque muſicæ exercendæ cauſa centum libris argenti donaſſe. *Cadr.* In feſto Palmarum ſolebat in Græca Eccleſia cantari carmen, à Theophilo Imp. Muſicis concentibus ornatum: Exite gentes, exite populi. *Zonar. Tom. 3.*

LEO II. Pontifex, vir doctiſſimus, ut ejus ſcripta indicant, muſices peritus, pſalmodiam compoſuit, hymnoſq; ad meliorem concentum redegit, artem exercitatione confirmans. *Plat.*

RATHBODUS XIV. Epiſcopus Ultrajectenſis, varios in Sanctorum honorem cantus compoſuit, circa annum Salut. 900. *Tritbemius.*

VITALIANUS I. Pontifex, regulam Eccleſiaſticam compoſuit, & cantum ordinavit, adhibitis ad conſonantiam (ut quidam volunt) organis. *Plat.* F

HUBALDUS, nepos Milonis monachi ſeptem liberalium artium peritus, in muſica præcipuè claruit, & de multis Sanctis cantus dulci modulatione compoſuit. *Sig.in Chron. an.879.*

NOTGERIUS monachus S. Galli, Conſequentias compoſuit, quas Nicolaus Pontif. cantari conceſſit. *Mart. in Chron.*

JOANNES FERNANDUS, cæcus, muſicus ita inſignis evaſit, ut ſolus memoriter quatuor vocum carmen componeret: id quod vix alii ſcribendo conſequi poſſent. Præterquam quòd aliis muſicis inſtrumentis tam peritè ſonos modularetur, ut audientium aures non ſolùm ſuavitate demulceret, ſed etiam artificii magnitudine veluti captos detineret. *Fulgoſus.*

JO. PICUS MIRANDULA, primis adoleſcentiæ annis genus omne muſicę artis adeò excoluit, ut excogitata ipſum per modulamina, notatæque debitis concentibus harmoniæ, celebres haberentur. *Ioan. Franciſc. in ejus vita.*

EDENDO. VEL.

Peritè.

☞ *Ex Tit. præcedentibus Muſicorum huc quædam. Illic. Poſſeſſio, hìc Exercitatio conſideratur.* G

Sirenes apud Homerum canunt Ulyſſi ea, quibus maximè delectaretur, quæque ejus & ambitioni, & ſcientiæ multiplici eſſent conſentanea: dicuntque, quiſquis eos cantus audierit, eum & cum delectatione recedere, & doctiorem. *Suidas.*

Imperitè. Muſici imperiti.

Tradunt Ialemum Calliopes fuiſſe filium, infelicem, nulliuſq; pretii hominem, præſertim in cantu ſupra modum frigidum, unde ἰαλέμου ᾠδὴν, id eſt, Jalemi cantilenam, pro frigida dicunt, ac miſerabili. Martialis item jocans in oratorem quendam frigidum ait, Illum unum idoneum eſſe, qui thermas refrigeret Neronianas. Heſychius indicat & hoc pacto efferiĩ proverbium ἰαλέμου ψυχρότερος: id eſt, Jalemo miſerabilior. Idẽ indicat ἰάλεμον dici, quod nullius ſit pretii, quemadmodum Latinis Nænias appellant, cùm ea vox propriè ſonet lugubres cantiones. *Eraſm. in Adag.*

Ferunt, Babyn fratrem fuiſſe Marſyæ, qui non veritus eſt ipſum Apollinem ad canendi certamen evocare. A quo cùm eſſet victus, ab eodem ſupinus de pinu ſuſpenſus, excoriatus eſt. Deinde cùm Apollo pararet Babyn quoque perdere, interceſſit Pallas, admonens hunc uſque adeò infeliciter, & indoctè H tibiis canere, ut omnino negligendus eſſe videretur κάλλιον inquiens βαβὺς αὐλεῖ: id eſt, Deterius Babys tibiis canit. Quibus verbis commotus Apollo, Babyn adeò contempſit, ut eum ne ſupplicio quidem dignum exiſtimaret, ſed ſuæ potius inſcitiæ judicaret relinquendum. Unde proverbium ortum, Babys multò deterius cantat. *Eraſm.*

ORPHEI caput unà cum lyra in Hebrum fluvium projectum, ad Lesbum pervenit. Lesbii ſuſceptũ ſepelivere in eo loco, ubi Bacchion eſt, Bacchi ſcilicet oraculum: lyram in Apollinis tẽplo ſuſpenderunt. Quam poſt multum tempus Nearchus, Pittaci tyranni Mitylenenſium filius, ſacerdote multis pecuniis corrupto, clàm abſtulit: & aliam ſimilem ſubſtituit, ſperans ſe divina quædam carmina, quibus ſylvæ, atque feræ mulcerentur, cantaturum. Verùm cùm interdiu ſe in civitate parum tutum eſſe arbitraretur, noctu in ſuburbio citharam inconditè pulſans, canes excivit, qui infelicem citharœdũ diſperſerunt.